DE NATURA

E T

CAUSIS ELOQUENTIÆ

DISPUTATIONES TRES

OPUS POSTHUMUM

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA NOGHERA.

BASSANI MDCCLXXXVI.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

JOSEPHO SPERGESIO

LIBERO BARONI A PALENZ,

REGII ORDINIS D. STEPHANI EQUITI,
IMPERATORIS CÆSARIS JOSEPHI II. AUGUSTI
A CONSILIIS IN REBUS STATUS ET ITALIÆ
ADMINISTRANDIS,
CÆSAREÆ ACADEMIÆ ARTIUM LIBERALIUM
VINDOBONENSIS PRÆSIDI

JOANNES BAPTISTA NOGHERA
D. D. D.

Etsi audacter facere videar, Spergesi nobilissime, qui Virum clarissimum tot publicis, tot privatis districtum negotiis interpellare non ve-

rear, atque a summis rebus abductum ad hunc tenuem pervolvendum libellum advocare sim ausus, excusandus tamen fortasse sim. Cui enim potius, Sapientissime Vir, opusculum istud nuncupari decebat, ac debuit, quam Tibi? Singularis illa tua, quam omnes norunt, humanitas, quâ litteratos homines complecteris, foves omni officiorum genere, illud certe postulat, ut siquid laude dignum ediderint, Tibi litterarum Patrono amantissimo inscriptum velint; quod cum a cæteris, tum a me præcipue Tibi debebatur; id enim exigunt præstantissima beneficia, quibus Patruum meum, & me studio-

rum

rum caussa Vindobonæ commorantem cumulasti, quem etiam ad Chrismatis Sacramentum accedentem sacrâ Tibi cognatione conjunctum voluisti; præstantissima profecto beneficia, quæ, si aut ex eorum magnitudine, aut a quo Viro in me collata perpendam, atque, ut æquum est, tanti æstimare velim, quanti qui contulit æstimandus est, illud sane effecisti, ut ne unquam gratus esse possim. Cogitanti itaque mihi quid gratiæ demum referrem Viro de Patruo meo, ac de me usque adeo optime merito illud venit in mentem, nihil me tibi gratius facturum, quam si breves hasce elucubrationes de Natu-

râ & Caussis Eloquentiæ a Patruo olim meo conscriptas Tibi exhiberem. Quid enim Viro cum aliis laudibus ornatissimo, tum etiam singulari dicendi gratiâ prædito acceptum magis, quam quæ de eloquentia tractarent? Accipe igitur ea qua soles humanitate exiguam hanc grati animi significationem, tenue profecto munus, atque amplitudini tuæ, tuisque in me meritis prorsus impar, tenue, inquam, munus, si ex ipso metiaris, at certe non tenue, si metiaris ex animo, maximum vero, postquam tuo nomine illustratum, tuoque probatum judicio.

DE

DE NATURA

ET

CAUSIS ELOQUENTIÆ.

Si quis deus, ut est in satyra (*a*), optionem daret hominibus, naturæne potius, an artis vellent esse eloquentiam, nullus dubito, quin omnes e vestigio longe naturam anteponerent. Ea enim eloquentia, quæ artis est, quantum suis alumnis onus imponit! severa, operosa, fastidiosa, semper elato supercilio, semper cum lima & regula. Hæc vero ingenii & naturæ filia, tota facilis & expedita est. Utique, ad eam si non es factus, nihil est quod adspires: arma statim ab-

(*a*) *Horat. l.* 1. *Sat.* 1.

abjicias, nisi si vis bellare cum fatis. At si factus es, ecce tibi repente Suada in labris insidet. Non te discrucies, oportet; non libros aut doctores consulas: rem animo permitte: ipse tibi dux est & auctor. Quis te beatior? sine studio, sine labore, uno puncto temporis, concusso semel fecundo pectore, alterum te Ciceronem fieri! Ciceronem inquam vi & efficacitate; nam quid ego speciem ac venustatem morer?

Hujus opinionis jam inde ab ipsis rhetoricæ primordiis visus est auctor fuisse in Gorgia Platonis Socrates, de quo alias erit sermo: postea vero patroni magni nominis exstitere, Charmadas, Sextus Empiricus, Evagoras, & nonnulli alii; quibus accessit nuper magnum geometriæ & philosophiæ lumen, idemque decus eximium ejus Academiæ, quæ sedet magistra & custos politioris dicendi scientiæ. Qui quidem hanc ipsam florentissi-

mam

mam societatem iniens, in suo, pœne dicam, regno artem invasit, sententiamque jam prope jacentem & intermortuam excitavit. Legesis splendidum illum sermonem (*a*); adjunctas lege acutas & doctas Animadversiones (*b*). Ipsam propemodum eloquentiam pro sua libertate pugnare diceres: ita sunt omnia plena elegantiæ & suasionis: si qua tamen suasio potest in animis, quamvis innata conspiret pigritia, censum propriæ infirmitatis extinguere.

Opinio vana, inquies. Utinam vana! at firmis tamen nixa radicibus. Fatebor enim ingenue: si stare pro arte cernerem homines dumtaxat hebetes, tardos, laborio-

sos,

(*a*) *Discours de M. D' Alembert à l' Academie Françoise lorsqu' il fut reçu à la place de M. l' Evêque de Vence, le jeudi 19. Déc. 1754.*

(*b*) *Réflexions sur l' élocution Oratoire &c. V. t. 2. Mélanges de Litterature, d' Histoire &c. à Amsterdam 1759.*

sos, nulla copia, nullo ardore animi; eos sibi habere suos libellos sinerem, utpote addictos arti, quia naturam sibi iniquam esse sentirent, & propriam aliis felicitatem inviderent: iremque lubens in contrariam sententiam, homini non incommodam, humanitati vero gloriosam, omnia virtuti ingenitæ tribuentem. Sed quum hanc sententiam video toties exortam simul & repudiatam; artem vero ab hominibus ingeniosissimis, sapientissimis, eloquentissimis inductam atque elaboratam, quam quidquid est hominum in dicendo excellentium didicerit & excoluerit; equidem percellor tanta auctoritate tantoque consensu, vixque non litem dijudicatam arbitror tamquam oraculo Pythio aut Dodoneo. Hæc certe nisi Philosophus convellat funditus, vereor, ut plus proficiat, quam ceteri ejusdem sententiæ antesignani. Dabitne hanc veniam vir doctissimus & humanissimus, ut, quæ

nos

nos remorantur, expromam, & rhetorum, quos contra venit, personam sustineam? Ita quidem: nec enim id eo facio, quo me summo cum viro conferam, aut tanta cupiam clarere inimicitia: jamque, ipse nisi fallor, intelligit, se non tam peti a me, quam suspici & observari, nec quicquam hic quæri aliud, nisi eam, quæ ipsi mihique est oculis carior, veritatem.

Ut autem ordinem habeat oratio, & Philosophi clarissimi vestigia persequatur, tres partes facio, quarum prima paullo angustior sternet quæstioni viam; secunda vero latior & apertior quæstionem ipsam continebit; tertia denique objectis sive rationibus sive auctoritatibus satisfaciet. Quæremus scilicet I. quid sit ars, quid eloquentia: II, quid in eloquentia possit sensus & natura; quid possit ars: III, quid arti obfuerit, aut defuerit, cur in justas sapientum reprehensiones in-

incurreret. Quæ omnia quoniam plura & latiora sunt, quam ut uno possint orationis quasi circuitu comprehendi; quot sunt partes, totidem orationes, vel potius disputationes sunto: quarum prima sit veluti procemium, vel divinatio; secunda, quæstio, vel causa; tertia, causæ absolutio seu complementum.

I.

Quit sit Ars, quid Eloquentia?

Mirum sane videbitur, nunc rursus post aliquot annorum millia quærendum esse, quid sint duæ res, non abstrusæ in Epicuri intermundiis, sed ab hominum ingenio sollertiaque profectæ, & in perpetua vitæ consuetudine & populari usu versatæ: quasi vero ea minus videant homines, quæ ipsos propius attingunt, aut, quæ vident, demonstrando obscurent, agitandoque permisceant. Illud quidem in multis accidit, ut, postquam a majoribus diutissime disputatum est, nihilo minus copiosa litigandi materia nobis relicta sit, & posteris reservata. Ex quo tamen illud redundat commodi, ut antiquitatis, dum excutitur, refricetur memoria, & si qua olim fuerint expensa negligentius, accuratiore post trutina pensitentur, fiatque tandem falsi verique liquida & definita secretio. O pulchra veri-

tas! at quanto nobis studio & labore conquirenda!

De arte quidem perpaucula verba sunt, quæ quasi præteriens Auctor noster injecit, recto quidem sensu, sed nonnullo tamen periculo. Quid porro? *Ars omnis*, inquit in Animadversionibus, quæ sermonem Academicum subsequuntur (*a*), *Ars omnis studio & exercitatione comparatur*. At nihilne, quæso, præter exercitationem ac studium? Si nihil amplius, vereor, ne quotquot sunt & censentur artes nobilissimæ, omnes jam sint ex illo celeberrimo disciplinarum circulo (*b*) extrudendæ, nec Dialectica solum, aut Critica, aut Medicina, de quibus non ita constat doctorum sententia, sed & Pictura & Sculptura & Architectura & Musica, & si quæ sunt aliæ homine libero dignæ. Quæ enim aut quota est ars, cui studium exercitatioque sufficiat? Præceptorum tamen ipsa cognitio poscit ingenium non plane obtusum ac plumbeum: quid vero, ut ex artis præscripto te geras, ejusque sis operibus par? Putamusne Raphaeles, Bonarotas, Bramantes, Pergolesos, Roscios sola exercitatione & studio ea fecisse, vel facere potuisse, quæ fecerint? aut, si magno fatemur ad-

(a) *Réflexions p.* 320. Tout art s'acquiert par l'étude & par l'exercice.

(b) *L'Encyclopedie*.

adjutos fuisse naturæ præsidio, ideone artes, quas excoluerunt, artes fuisse negabimus?

Nullius unquam artis fuit id omne suppeditare, quo egeas, sed acceptum a natura munus præceptis & institutione perficere: id quod multo ante dixerat Cicero de ingenioso illo disserens invento Simonideo (*a*): *Hæc ars tota.... habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat & procreet, verum ut ea, quæ sunt orta in nobis & procreata, educet atque confirmet*. Nec aliter de omni tum animi, tum ingenii ornamento sensit Horatius (*b*): *Doctrina sed vim promovet insitam*. Quamobrem ut a Cicerone (*c*) virtus, sic a nobis ars quælibet recte potest in suo genere definiri, *Rationis perfectio*, sive, quod eodem redit, *In se perfecta, & ad summum perducta natura*. Perfecta, inquam, non facta, perducta, non fabricata. Potes quippe aquilam, potes leonem ad grandia educare, at nulla certe doctrina potes aquilam e columba, aut e lepusculo leonem facere. Hoc quod est naturæ si auferas, ne sutoriæ quidem arti aut pistoriæ relinques locum, quibus, ut ut perparvula, aliqua tamen facultas est necessaria.

Quid

(a) *L. 2. de Orat. c. 87.*
(b) *L. 4. Ode 4.*
(c) *L. 1. de Finibus c. 13. & l. 1. de Legibus c. 8.*

Quid hæc ad Philosophum nostrum? inquies. Nihil, opinor; etiamsi videatur quodam modo naturæ munus ab artis industria segregare (*a*). Sed suspiciosus & lubricus hic erat locus, quo sæpe ab aliis vocati sumus. Ajunt enim, permultos esse, qui se totos arti dederint, nec tamen sint eloquentes: nullam ergo esse artem eloquentiæ. Popularis quidem, sed futilis argumentatio! Nam quo tandem hac ratione artes omnes devenirent? Rhetoricæ quisquilias ostendis scilicet; & en, inquis, præclaram effectricem eloquentiæ! At ars quoque politica, bellica, nautica quales erunt, si ex nescio quibus earum discipulis vel doctoribus sint æstimandæ? Quum de arte quærimus, non eos respicimus, qui invita, ut ajunt, Minerva ad eam se applicant, sed qui possunt & volunt proficere. Immo jam ante denuntio, præter bonam naturam esse alia quam plurima ad perfectionem artium necessaria.

At enim Crassus & Antonius non obtrectant solum rhetoricam, cujus patrocinium videntur suscipere, sed etiam repellunt ex numero artium (*b*). Sane, inquam; sed quarum

(a) *Réflexions p.* 320. Nous appellons l'éloquence un talent, & non pas un art, comme l'ont appellé la plupart des Rheteurs; car tout art s'acquiert par l'étude & par l'exercice, & l'éloquence est un don de la nature.

(b) *V. Cic. l.* 1. *de Orat. c.* 23. *& l.* 2. *c.* 7. *&c.*

rum artium? earum scilicet, quæ scientia continentur. Ars penes illos erat immutabilis ac certa veritas, necessario nexu ex principiis consequens necessariis, quam unam appellabat Plato scientiam, ex illis suis ductam æternis formis. Desiperet autem, qui talem sibi eloquentiæ artem fingeret: quasi vero eloquendi vis certis constaret formulis, ut conclusiones, quas efficit geometria. Quamvis enim nec rhetorica careat suis principiis certissimis, sumtis ex intima hominum natura, eorum tamen ad singulares casus accommodatio tota incerta est, ex præsenti hominum sensu pendens, ex opinionibus, erroribus, cupiditatibus, rebus videlicet fluxis & volubilibus; quibus scientia subesse non potest, potest solum ac debet præesse conjecturis nixa prudentia. Sed quid inde? si quis obsoleto hoc delectatur loquendi genere, eripiet nobis appellationem, non rem. Fruantur quidem hoc nomine Metaphysici, ut vocant, & Mathematici: nobis vero sit satis cum eodem Crasso & Antonio rhetoricam non artem, sed *quasi artem*, aut *similitudinem artis* nuncupare. Nam de obtrectatione quod additum est, nunc id unum respondebo, me omnes velle tales esse rhetoricæ obtrectatores.

Tametsi, ad ipsum artis nomen quod pertinet, cur negemus rhetoricæ, quod Musicæ picturæque concedimus? cur discedamus a

communi loquendi consuetudine, quæ artem ponit in apta rerum ut ut opinabilium præceptione? Omnes enim si artes circumspicias, materiam, in qua versantur, finem, quo tendunt, munera, quibus funguntur, perfectionem, ad quam adspirant, vias & modos, quibus ad eam enituntur; reperies quidem multa data esse rationi, multa experientiæ, at multo plura conjecturæ & opinioni, quæ proinde non minus vere, quam argute in quodam libello Italico *Mundi Regina* (a) nominatur.

Ea igitur si spectemus omnia, quæ sunt cuique arti communia, ipsam, credo, licebit artem, si non mirabiliter, at vere & perspicue de Majorum sententia definire, *Rectam aliquid faciendi rationem*. Quid enim hic requiras, aut arguas? Nihil non apertum ac liquidum; nihil, quod ipsa quodam modo rei natura non approbet. Omnes enim leges, institutiones, monita, exempla non alio spectant, nisi ut te doceant ea optime facere, quæ artis cujusque sunt propria. Sin magis prior illa notio placet, non recuso, dum studio & exercitationi adjuncta sit congruens animi & corporis habitudo. De qua non laborat, puto, noster Philosophus, non intentus, ut alii, arti spoliandæ, sed for-

(a) *Liber inscriptus*, Della Opinione Regina del mondo &c., *de quo Pascal*, *Pensées c.* 25.

formandæ eloquentiæ, quam arti subducat, attribuat sensui.

Quærendum est igitur, quid ipsa sit eloquentia, quæ forma ejus, quæ natura, quæ indoles. Multi enim utuntur hoc nomine & abutuntur, non discernentes, quid sit eloquens, quid concinnum, quid disertum, quid loquax. Etsi, qui hæc misceat, populus est, quem, veluti equum, decet rectoris sentire habenas, non cernere; sunt semidocti, aut etiam docti, privatis opinionibus occupati, qui sæpe minus intelligunt, quam qui nihil intelligunt: quid autem tale possumus de philosophis sapientissimis, & de eloquentissimis oratoribus suspicari?

Sed prius, quid novi Philosophus noster afferat, juvat attendere: *Est*, inquit (*a*), *eloquentia facultas transmittendi rapide & imprimendi vehementer in aliorum animos ea, quibus intime tangimur, profunda sensa. Hæc autem sublimis facultas germinat ex singulari quadam vi seu facilitate sentiendi, si quid est magnum, & verum. Ea-*

(a) *Discours p.* 304. L'éloquence est le talent de faire passer avec rapidité & d'imprimer avec force dans l'ame des autres le sentiment profonde dont on est penetré. Ce talent sublime a son germe dans une sensibilité rare pour le grand & pour le vrai. La même disposition de l'ame qui nous rend susceptible d'une émotion vive & peu commune, suffit pour en faire sortir l'image au dehors: il n'y donc point d'art pour l'éloquence, puisqu'il n'y en a point pour sentir.

Eadem vero animi habitudo, quæ facit nos pervios commotioni vividæ & minus communi, sufficit ad emittendam hujusce commotionis imaginem: nulla est igitur ars eloquentiæ, quandoquidem nulla est ars sentiendi. Quam multa paucis! en natura, origo, ratio eloquentiæ, ars eversa, animi facultas constituta. Quæ si omnia in illo solum ad Academicos sermone protulisset, oratorie dicta acciperem ex nobili quodam animi fervore, qui rem decebat & locum: sed quando hæc eadem in Animadversionibus video confirmata; video non modo jactatam rhetoricam, sed etiam paullo acrius perstrictos rhetores. Quid hoc est? inquio: vitiumne carpitur aliquod, an rei forma mutatur? estne discrepantia verbo solum, an etiam re? cum recentibusne tantum rhetoribus, an etiam cum summis auctoribus antiquitatis? Hæc scilicet providenda sunt, ne forte Stoicorum more de nominibus disputemus.

Sepositis igitur iis, quæ hujus loci non sunt, prima se nobis offerunt sensa, in quorum transmissione ponitur eloquentia. Quod quidem nemo mirabitur, qui animadvertat, suos esse, ut corpori, sic animo sensus; atque ut sensus corporis suaviter afficiuntur, aut aspero appulsu rerum externarum, ita animi sensus affici verbis atque sententiis; unde oritur appetitio vel aversatio, quibus

omnis

omnis animi motus, & tota vis eloquentiæ continetur. Quamobrem acutus quidam apud Ciceronem philosophus, *Caput esse oratoris* dixit (a), *uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator*. Quam notionem adeo non respuit Cicero, ut potius confirmet atque explicet in libro de Claris Oratoribus, quem Brutum inscripsit, ut post videbimus. Quis autem vetet eas animi affectiones sensa appellari, siquidem e sensu eliciuntur, & manent in sensu?

Nisi forte obstat illud, *vehementer, & rapide*, quod Auctor adjecit. Quod enim, dicet aliquis, ista sibi rapidas vult atque vehementia? Illane sermonis moderatrix, habitans nuper in ampla & abundanti domo, in Vulcani, pœne dixerim, officinam repente contruditur, ubi sola sint fulmina deorum principi reservata? De quo ne quis dubitet, subdit idem (b), *eloquentiam proprie non nisi in locis vividis rapidisque sitam esse*: nimirum *erumpit fulmen, & nubes occluditur*. En ipse rutilo & vibranti eloquio formam exhibens eloquentiæ fulgurantis. Quid igitur? solis fulminibus agitur res? solas sentit auditor violentas & subitas impressiones? Hæc

(a) *L.* 1. *de Orat. c.* 19.

(b) *Réflexions p.* 333. L'éloquence ne consiste proprement que dans des trats vifs & rapides. L'éclair part & la nue se renferme.

Hæc orationis, hæc hominis natura est? Non leniter, non paullatim, & quasi per gradus mens impelli potest, aut retrahi? Atqui *nervos & aculeos oratorios*, si Tullio credimus (*a*), *non habet* Plato, non Isocrates, non Xenophon, non multi alii: & tamen ejusdem Tullii judicio est Plato eloquentissimus; & (*b*) *Isocratem omnes docti summum oratorem esse dixerunt*; & ejusdem laudis constat fuisse participes, qui eodem scribendi genere viguerunt. Quid Tullius? quid ipse Demosthenes? semperne faces & tela contorquent? Immo ex eodem Tullio audies (*c*), quam sæpe uterque fuerit sedatus, velut Isocrates alter, ut Lysias; & tamen dicendo affecerit animos, ut volebat.

Ac si volumus nos ipsos interrogare, quum egregium aliquid audimus, aut legimus, utrumque genus eloquentiæ facile distinguemus. Ciemur repente brevi aliqua sententia? erigimur, agimur, rapimur? En fulmina, en aculei, quos dicit Philosophus. Nihil tale experimur? sed nescio qua capti dulcedine, sensim, prope dicam, sine sensu in oratoris sententiam ducimur, quin ipsi possimus statuere, quid nos potissimum induxerit? Ne dubitemus: hæc illa est eloquentia pla-

(a) *L. Orator c. 19.*
(b) *Cic. de Opt. Gen. Orat. c. 6.*
(c) *L. Orator c. 29. &c.*

placata, mollis, æquabilis, diffusa in totum corpus orationis.

Hanc vero negat Philosophus? sint bono animo rhetores. Id visus est initio voluisse, secutus generosam indolem, ad id, quod est in eloquentia maximum, advolantem: sed post dat ultro atque offert hanc, quam vocat, eloquentiam *Insinuationis* (*a*), *quæ sine permotione convincat*, *nec assensum extorqueat*, *sed obtineat*. Agite, pacati homines, quid vultis amplius?

Unum est, quod hic Longinus, rhetor nobilissimus, forte requireret. Quippe rapiditas & vehementia tota videtur tribui commotioni animorum; sola autem placida lenitas relinqui insinuationi, quæ convincat & doceat: quum ille contra probaverit in aureolo illo περὶ ὕψους libello, sublime atque amplum dicendi genus, in quo impetus est omnium altissimus & rapidissimus, etiam extra παθητικὸν, ut Græci vocant, posse exsistere. Neque enim, si cor habet suam elationem, mens & ratio non habet: utrique enim perinde inest illa, quæ a poeta dicitur auræ divinæ particula. Atque is ipse, qui hoc docet, nonne hujus est specimen sublatio-

(a) *Réflexions p.* 319. Qui se borne à convaincre sans émouvoir, & qui ne cherche point à arracher le consentement, mais à l'obtenir &c.

tionis? Quid igitur alteri tribuas, quod sit utrique commune? Quamquam ne hoc quidem se statuisse dicet Philosophus: quum enim illam summam eloquentiam germinare fecit ex vi sentiendi quidquid est magnum ac verum, nonne satis ostendit, utramque se agnoscere amplitudinem, sive quæ ad animum, sive quæ ad mentem referatur?

Sed si manent hæc omnia, quid est ergo, quod carpat rhetores, iisque nomen *persuasionis* excutiat? An quia hoc nomen jam cascum & vietum est? Non ita sane: rei quippe non convenit. At qui hoc dicat, non totos metuat in se Elysios commovere? Quis enim nescit a principibus Græcis & Latinis bene dicendi scientiam fuisse πειθοῦς, id est Suadæ & Suadelæ & Persuasionis (*a*) nomine conservatam? Quid dicas igitur? Aristotelem, Ennium, Tullium ignorasse, quænam persuasionis & eloquentiæ vocabulis vis subesset? At Umbræ illæ magnæ clamarent: Tu nos eum sermonem doceas, in quo nati & instituti sumus? Nos discamus ex te, quid sit illa dicendi ratio, cujus nos perfectam formam hominibus & exemplum dedimus?

Absit hoc a Philosophi nostri sapientia: quin immo profitetur se rem solum habere cum

(a) *Cic. in Bruto c. 15. &c.*

cum sequioris ævi scriptoribus (*a*), qui bonam Veterum definitionem superstitiose atque serviliter exscripserint & adoptarint. Audio: sed ex eo tempore naturane eloquentiæ mutata est, ut sit aliter definienda? Veteres, inquit, spectarunt eloquentiam fori, cui ea definitio convenit. Et nos, dicent illi, spectamus eloquentiam templi, cui convenit nihilo minus. At nunc alia vigent eloquentiæ genera. Et tunc pariter viguerunt: neque enim aut orationes Isocratis, aut sermones Platonis & Demetrii ignoramus.

Visne aliquid expressius? Age: quæ sunt dicendi genera a Veteribus distincta? Hæc opinor tria; *Demonstrativum*, *Deliberativum*, *Judiciale*. Atqui hæc ipsa sunt a posteris rhetoribus tradita, hodieque traduntur: & quamvis eorum prudentiam desideres, qui multi fuerint in postremo genere, quod jam pœne exolevit; tamen dum res manet, non potest iis definitio, aut nomen auferri: nec ipsum genus forense est prorsus eliminandum, præsertim ab homine Gallo, qui suos noverit Patrus, les Maîtres, Daguesseau, aliosque causarum egregios oratores: quum præterea sint multæ & graves huic generi finitimæ controversiæ.

Ve-

(a) *Réflexions p.* 318. Nos écrivains modernes pour la plupart copistes superstitieux & serviles de l'antiquité ont adopté cette définition &c.

Verum quid urgeo, quum ille ipse, qui verbo negat, re persuasionem admittat? Ut jam suspicer, ne forte voluerit non tam recepta placita refellere, quam ipsos rhetores more Socratico exagitare. Quid enim per ipsum, quid per omnes est persuasio? Testes volo ejusdem eximias Animadversiones (*a*). *Persuadere idem est*, ait, *ac probare*, *&* *commovere*. Quot porro enumerat genera eloquentiæ? Nempe duo, *Insinuationis* alterum, alterum *commotionis*. En commotio clara & manifesta jam est in manibus. Atqui etiam probatio: nam quid hæc aliud est, nisi *convincere*, *&* *assensum obtinere*? in quo ipse totam posuit, ut vidimus, *insinuationem*. Idne totum negabitur, cujus pars omnis concessa est? Aut si quod est aliud genus eloquentiæ, cur non profertur?

Nec vero nos impedit eloquentia illa muta, quam Auctor dicit (*b*) suæ definitioni congruere; eloquentia, inquam, vultus ac gestus, qualem suspicimus in Ajace Homerico (*c*), & in Didone Virgiliana. Neque enim hæc eloquentia ab illa discrepat, quam nunc exposuimus, nisi modo loquendi. Utraque

(a) *Réflexions p.* 318. De persuader, c'est-à-dire de prouver & d'émouvoir.

(b) *Ibid. p.* 319. Cette définition convien à l'éloquence même du silence ... à l'éloquence du geste &c.

(c) *Odyss. l.* 11. *v.* 542. *&* *Æneid. l.* 6.

que scilicet index est mentis atque animi: nec una est lingua, quæ loquitur, sed frons, oculi, manus, status, incessus, omnia: *Est enim actio*, inquit Tullius (*a*), *quasi sermo corporis*. Ac suos habet etiam hic sermo diversos, pœne dicam, tonos & modos & numeros, quibus contentius, vel remissius significat homo, quid cogitet, quid velit, qua mente, quo statu sit, quamque rem aut sequatur, aut fugiat.

Si quis autem me interroget, cur aliquando silentium sit omni dictione eloquentius, id esse causæ autumo, quod qui tempore & loco silet, plura & majora cogitanda exhibet, quam verbis exprimere potuisset. Auditoris videlicet affectio est summa regula oratoris; idque in eloquentia optimum est, quod speciem rei imprimit, atque adeo inurit animis altiorem. Id præstitit Homerus, id Virgilius silentio, quod Timanthes velo (*b*). Tacet Ajax indignabundus; tacet aversa ac torva Dido; Agamemnoni coram filia jam jam immolanda vultus obnubitur. Superi! ex illa taciturnitate quid non audis? quid non vides sub illo amictu?

Cui rei affinis est apud rhetores tum præcisa brevitas, tum reticentia. Quo in genere notissima est Neptuni comminatio, *Quos ego...*

(a) *L.* 3. *de Orat. c.* 59.
(b) *V. Cic. l. Orator c.* 22.

ego... Et ecce tibi pavitantes Venti, supplicii omne genus animo revolventes. Plus ille dixisset, minus tibi ipse fingeres. Paucula quædam verba sunt *minæ mutorum ingentes*; sunt quasi spectra nocturna, & simulacra rerum objecta luce dubia, quæ iccirco apparent se ipsis grandiora. Tanti momenti est in re oratoria non minus tacere scire, quam dicere.

Sed ut in viam redeam, cur, rogo iterum, cur ergo persuasio e nostris finibus extruditur? Una vocula, inquit Auctor, tuam omnem rationem subruit: tu separatim, ego conjunctim posui (*a*), *Persuadere* idem esse, *ac probare simul & commovere*. Vidi, inquam, vidi illud *simul*, nec timui. Quæro enim: ex cujus id sententia posuisti? Nam si quis hoc dixit alienus; Quid ad nos? inquient rhetores: ille viderit. Sin ex rhetorum sententia; qui sunt isti, aut ubi sunt? Novine, an etiam veteres, Isocrates, Aristoteles, Tullii, Quintiliani? Si novi solum; quare igitur arguuntur, eos, a quibus discesserint, serviliter secutos esse? Sin etiam veteres; quomodo ii, quibus Auctor parcere voluit, liberantur? Dicat enim, quod vult, de eloquentia forensi: nunquam tamen evincet, definitionem, quæ antiquitus bona fuerit,

(a) *Réflexions p.* 318. De persuader, c' est-à-dire de prouver & d' émouvoir tout ensemble.

rit, nunc malam esse, quum eadem nunc sint, & quondam fuerint genera eloquentiæ. Atque in eo ipso vetere foro Auctorne semper inveniet commotionem cum probatione conjunctam?

Ambiguitas, nisi fallor, aliqua verbis subest, quam si tollas, sublata sit controversia. Nimirum persuasio constare dicitur probatione simul & commotione: sed itane, ut constat homo anima & corpore, quorum si nexum demas, totum evertas? Longissime hinc absunt rhetores, qui duas illas res non verbo solum & officio, sed præceptis & exemplis & exercitatione disjungunt. Quonam igitur modo persuasionem iis dicunt constare? Eodem ac si diceres rem bellicam constare defensione & offensione, consilio & fortitudine: id quod verum est de genere universo; etiamsi non ubique, non semper conjuncta sit cum offensione defensio, cum consilio fortitudo.

Sed quid, si adesset perpetua illa commotionis probationisque copulatio, quam negavi, & nego esse persuasioni necessariam? Discedamus quidem a foro; discedamus a templo, atque a concionibus illis ardentibus & actuosis: ingrediamur, non dicam Curiam, sed palæstram & Academiam, ubi Isocrates, ubi Plato suas scholas explicent, laudent, moneant, exhortentur. Quid? non delectaris, ipsos audiendo? non tibi probabilia,

at-

atque adeo vera videntur esse, quæ dicunt? non libenter abjicis veteres opiniones, ut novas suscipias? Nempe hæc est probatio. Nunc verte te intro ad sedem tuarum affectionum. Qui sunt illi igniculi, quos sentis in animo excitari? Pudet te tui; supra tuam sortem erigeris, cupis, quæ oderas; miraris, quæ contemnebas; contemnis, quæ mirabare. Hoc autem, quæso, quid est nisi commotio?

Atque hoc quidem in omni eloquentia tranquilla & umbratili: nec quidquam homini convenientius, homini inquam ad verum pariter, atque ad bonum facto, sed ita facto, ut nec magnopere veritate capiatur, quæ nuda & frugis expers appareat; nec bonitate, cui non aliquod insit lumen veritatis: unde exsistit illa, quam dico, probationis & permotionis conspiratio.

At hominis prius natura est nobis inspicienda, ut naturam eloquentiæ, quæ ad illam conformata est, plenius pernoscamus. Rem miram! Homo, ut ut ad verum, bonumque, ut dixi, natus, multo plura tamen & judicat & facit specie & sensu motus, quam rerum momento & ratione: ut monet Cicero (*a*), seu potius experientia temporum & locorum omnium. Et tamen idem homo non aliis solum, verum etiam sibi videri vult esse

(a) *L. 2. de Orat. c. 42. &c.*

esse philosophus, solaque ad id, quod proponitur, ratione duci. Suæ, credo, nobilitatis memor, quidquid præter veritatem sit, se ipso indignum judicat. Cave, suspicetur ille, te moliri aliquid, & quasi tormentis admotis, vel per cuniculos suum animum attentari. Actutum resilit ac repugnat, veluti generosa fera, quæ suam peti libertatem sentiat.

Quid igitur eloquens? Tamquam cum philosopho acturus, philosophi personam sumat, necesse est, in eaque se ostentet ac venditet, *Ut nihil aliud* (sunt verba Tullii) (*a*) *nisi docere velle videatur*. Veritati & rationi se se submittere nec magistratus, nec reges pudet: quin omnem pudeat, qui rationis sit particeps, eidem repugnare.

Sub hac vero persona is, qui suos auditores noscat, iisque velit moderari, quid non imaginibus, quid non animi sensis tribuit, sive ut perstringat mentes, sive ut voluntates impellat? Tantum videlicet, ut ipsa eloquentia dicta sit opus imaginationis ac sensus, immo etiam unius sensus: ipsæ enim imaginatio, utpote sensilis, in sensum recidit.

Quod ut planius fiat, ipsa jam singillatim spectandæ sunt eloquentiæ partes, videndumque, quid hujus sit proprium, quid philo-

(a) *Ibidem c. 77.*

losophiæ. Atque a probatione ut incipiam; ne poscat orator suis statim sive phantasmatis sive luminibus credi. Qui cum hoc solum apparatu veniat, nonne videatur velle auditoribus, nisi si stupidissimi sunt, ludificari! Prius, oportet, omnes, ut ita loquar, venas probabilitatis exquirat, eliquet, in unum conferat. Ut enim in fodinis aurum argentumque, sic in rebus veritatis quasi particulæ sunt ut plurimum abstrusæ, mixtæ, dispersæ; quas qui melius collegerit, oppressis disjectisque contrariis, is fide videbitur dignior: id quod est philosophi officium. Atque hæc etiam causa est, cur eloquentiam dixerit Cicero ex Academia spatiis exivisse. Hinc enim non solum copiosior & gravior, quam esset antea in sophistarum palæstra, verum etiam multo firmior & probabilior facta est.

Quamquam probationem quum dico, nolo solum intelligas quandam argumentationis seriem, id quod sit controversum aut dubium, concludentis. Non hoc semper poscit locus aut res: nec eloquendi virtus his vult se angustiis coarctari: fieretque injuria doctoribus artium, & historicis bene multis, quos consensus gentium & ætatum omnium disertissimos declaravit. Longe igitur latius patet hæc eloquentiæ pars, quam probationis nomen videatur admittere: quamobrem & Tullius & alii rhetores malunt *docere* dicere, quam *pro-*

ba-

bare. Docet quippe non ratiocinatio sola, sed omnis etiam rerum explicatio verisimilis; eoque comprehenditur, quidquid intelligentiam afficit, estque proprium veritatis. Quid autem non est? Tullio quidem teste comperimus, velle homines doceri tantummodo, non impelli, aut retrahi: ex quo sequitur, si non veritatem, at certe similitudinem veritatis debere esse tota, quanta est, oratione diffusam.

Sed hæc seu veritas, seu veritatis similitudo ut tenuis plerumque, ut subtilis, ut involuta est! Quo modo eam accipient auditores maxima ex parte leves, ignari, in alia distracti, immersi sensibus, laboris & considerationis inimici? Hic enimvero e philosophiæ latebris egrediatur, necesse est, seque tradat eloquentiæ manibus conformandam. Hæc una est, quæ omnem veritatem possit facere plausibilem & popularem: quippe quæ non omne solum colligat illius lumen, commodissimeque disponat, sed etiam iis accommodet, quas habet populus conceptas animo notiones; ac præterea colores adjiciat imaginesque sensibiles, quæ percellant & teneant phantasiam, ut ajunt, & mentes animosque corripiant. Atque hoc illud est, *Omnes, aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias* (*a*), in quo Cicero

(a) L. 1. *Orator c.* 39.

cero tantum posuit, ut nihil aliud judicarit esse totam hanc nostram bene dicendi scientiam. Ea videlicet specie convestita veritas nedum facilior evadit & clarior, sed pulchrior & amabilior: ac fit prope illud, quod in Phœdro de Honestate optabat Plato, ut se se præberet hominibus aspectabilem: Quos enim tam pulchra forma sui amores excitaret!

Id vidit historia, vidit philosophia, seque e suis dumetis repente proripuit, quæque prius eloquentiæ dedisset subtilitatem atque doctrinam, non dubitavit ex illa accipere hæc ornamenta dicendi (*a*). Et quam statim jucunda omnibus acciderunt illa dogmata de Deo, de virtutibus, de officiis, de finibus bonorum, de rationis præstantia, de insania cupiditatum, de doloris mortisque contemtu, de immortalitate animorum, quæ vix antea paucis studiosis sapientiæ probarentur? Et nunc si non philosophia solum, sed omnis spinosior disciplina ex Academiis & Porticibus libere prodit in lucem; si aulas, si ædes delicatas subit; si vel in mollissimis feminarum conciliis læto & libenti animo accipitur; quid causæ putamus esse? Nimirum excussa illa Arabicorum temporum tetricitate, omnis doctrina non modo ad omnem elegan-

(a) *V. Cic. l. de Fato c. 2.*

legantiam expolita est, sed tam insignibus etiam ornamentis aucta, ut jam possit ad se convertere animos vel inertissimos. Quod quantum valeat ad assensionem obtinendam, suo malo sciunt quidam disputatores acuti quidem & docti, sed hispidi & strigosi, qui ausi cum ornatioribus congredi, omnibus suffragiis, ne auditi quidem, causa ut ut meliore ceciderunt. Nimis enim infirma est rudis & incomta ratio contra illam suavitatem & amplitudinem.

Quapropter non satis percipio, cur aliqui rhetoricam secernant ab eloquentia, eique tribuant venustatem jucundam, huic accommodam persuasionem. Sic enim possent & suavitatem ciborum a salubritate, & bonum animantium colorem a valetudine, res natura conjunctas, institutione separare. A quo tantum abest orator omnium eloquentissimus, ut immo summam poscat in eloquentia dulcedinem & venustatem *(a)*, doceatque generatim, eas res, quæ plurimum delectant, cum in natura, tum in artibus habere plurimum utilitatis *(b)*: in eloquentia vero quam maxime: unde nec satis illi fuit, eam definiendo, dicere, *docere*, *movere*: interposuit *delectare* *(c)*; non quasi tertium ac distin-

(a) *Cic. in Bruto* 82. *&* 92.
(b) *L.* 3. *de Orat. c.* 45.
(c) *In Bruto c.* 49. *&* *alibi*.

stinctum genus, sed duorum, quæ jam posuerat, generum complementum: quandoquidem sine delectatione nec docere congruenter possumus, nec movere. Sermo, qui non placeat, ne auribus quidem accipietur, nedum in animi sensus influat. Nec vero apud poetas aut silvæ Orpheum, aut lapides Amphionem secuti sunt, nisi cantus dulcedine delibuti.

Sed tamen quoniam est aliqua & in cibis dulcitudo insalubris, & in corporibus mendax color, distinguamus licet ab eloquentia illam rhetoricam mollem, floridam, fucatam, gloriosam, satis contentam, si bella audiat: cui se rhetoricæ dederunt multi de grege sophistarum, onusti flosculis, fruge vacui; in hoc ipso tamen non indiserti, si sciverunt blandiri sine fastidio, & sine satietate placere. Ex quo tamen numero extrahes, nedum Platones & Isocrates, sed Demetrios & Theophrastos, qui etsi illis deliciis largius & apertius indulgerent, haberent tamen honestissimum quasi terminum, quo auditores suos deducerent, docendo, laudando, exhortando. Illam vero delectationem, quæ ad hoc solum facta est, ut molles aditus aperiat ad mentes, in quam partem velis, inflectendas, quis neget esse cum eloquentia conjunctissimam, immo unum idemque cum ipsa esse?

Jamque satis, ut opinor, liquet, quodnam sit illud *docere* proprium eloquentiæ;

ta-

talis scilicet rationum rerumve expositio, quæ multiplici ornata specie, illustri, ampla, suavi, multo sit credibilior, & ad captandum assensum aptior, quam in scholis fuerit subtilium philosophorum. Hujusmodi autem expositio, dic, quæso te, omnine animi commotione caret, aut potest carere?

Sed hæc prius noscenda est secunda eloquentiæ pars multo mirabilior multoque efficacior, commotio, inquam, quæ facultatem regit hominis dominatricem, appetitiones & voluntates, ideoque habetur flos, virtus, & medulla suasionis. Quotus enim quisque ducendum se veritati tradit; præsertim quum ad difficultates & molestias ventum est? Hæret nescio quæ imis pectoribus abstrusa desidia; & monstra omnis generis, errores, consuetudines, cupiditates nobis iter obsepiunt, ut Herculi Prodicio (*a*) ad virtutem & laudem aspiranti. Hic vero expromas, licet, faces & fulmina, amplificationes, miserationes, comminationes, acribus sententiis verbisque distinctas. Ego vero quid addam iis, quæ noster Auctor hoc loco tam alte magnificeque disseruit?

Nisi si forte ille pugnacissimos tantum spectavit eloquentiæ principes, neglexit ceteros: quasi vero nemo alius habendus sit motor

(a) *Cic. l. 1. de Offic. c. 32.*

tor animorum, nisi maximorum motuum concitator. Contra quam sententiam stat Cicero in eo ipso libro (a), in quo maxime dicendi optimum genus sequitur: vir enim divina, ut ajunt, virgula factus ad eloquentiam, gravemque & fervidam eloquentiam, agnoscit tamen motionis diversos gradus, nec suam minoribus ingeniis laudem invidet. Sed Philosophi verba, jam dixi, quam interpretationem suscipiant: rem potius ipsam videamus.

Interiores suos motus si quis observet & conferat diligenter, reperiet eos, qui cordis sunt, nihil admodum discrepare ab iis, qui sunt rationis. Alias obruitur ratio illustri & subita veri specie, quæ assensionem statim abripiat: cor item percellitur tanta specie boni, quæ uno puncto temporis intimas medullas inflammat. Alias vero *perparvulis passibus*, ut Tullii verbis utar (b), mens ad assentiendum ducitur: quo dicendi genere maxime viguit & gavisus est Socrates. Sic pariter animus parvis, pœne dicam, scintillulis non tam incenditur, quam cietur; ac si minor est vis & celeritas, non minor est efficacitas: quod de Cotta testatur Cicero (c), *Ut idem facerent* (judices) *a se commoti*, quod

(a) *L. Orator.*
(b) *L.* 1. *de Legibus c.* 21.
(c) *In Bruto c.* 55.

quod a Sulpicio concitati. Quod nisi ita esset, cur sæpe esset opus longa oratione? Quidni Demosthenes & Tullius paucis aculeis, siquidem ineest iis tota vis, suum negotium confecerunt? Nempe idem nos in re oratoria, qui in bellica error decipit: capimur spiritu & ardore pugnæ; non totius belli ductum & insidias cogitamus. Arx quædam est hominis cujusque animus, qui si quando subito, ut ita loquar, incursu opprimitur, diuturna tamen ut plurimum est obsidione capiendus: & longe abhorret a vero, qui rei bene gerendæ unam tantum putat esse rationem.

Quid, quod multis in locis est lenitas ipsa melior? Commotio enim duas habet partes, conciliationem scilicet animorum, & concitationem: unde exsistunt illa duo, quæ maxime sequitur multitudo, dicentis auctoritas, & audientis affectio. Auctoritas porro, quæ partim benevolentia nititur, partim opinione virtutis, quo modo conciliatur? Scio, id factum esse aliquando paucis sensis sublimibus; ac memini non Demosthenis solum aut Tullii, sed magni illius Africani, qui accusatus a civibus, quos servarat, uno dicto expugnavit invidiam, venerationem extorsit. At tamen plerumque conciliatur animus modestia & lenitate: nec aliud, quam lenitatem inculcat Cicero in Rhetoricis; nec aliud fere usurpat in scriptis omnibus. Quip-

pe grata est ea significatio animi compositi, alienam dignitatem reverentis. Quod si vidissent quidam philosophi, qui se vidisse omnia arbitrantur, quanto superiores erant, tanto se gessissent summissius, Socratis more, nec abalienassent animos imperioso quodam superboque fastidio, seque cum sua elatione pœne ridiculos præbuissent.

Nec vero commotionis altera pars tota dabitur amplitudini atque vehementiæ. Illius enim proprium munus est, teste Cicerone, (*a*) non solum impellere animos, sed etiam retinere, consolari afflictos, deducere perterritos a timore, gestientes comprimere, cupiditates iracundiasque restinguere. Quæ restinctio sane poscit magis, prope dicam, lymphas, quam flammas: ideoque hanc etiam partem idem Cicero tribuit lenitati.

Quid ipsa impulsio? totane tumultuosa atque sublata? Numquid non alios motus, nisi violentos suscipit animus, locus, res? aut, si non suscipit, jacet eloquentia, cessatque animos audientium permovere? Atqui Tullius (nec quisquam mihi succenseat, quod Tullium jam toties appello: ipsum enim audiens, audire mihi videor ipsam vocem eloquentiæ, immo philosophiæ simul & eloquentiæ, abditos animi sensus, & dicendi my-

(a) *L.* 2. *de Nat. Deor. c.* 55.

mysteria reserantis) Tullius, inquam, inter motus animi distinguit a durioribus mitiores (*a*), numeratque non dolorem solum aut metum aut iram, sed favorem, contemtum, tœdium, satietatem: monetque generatim affectus omnes lenius esse agitandos in Curia, quam in foro, coram viris principibus & cultis, quam coram rudi & abjecta plebecula: atque item ridet, si quis de stillicidiis velit apud unum judicem amplissime dicere (*b*).

At nihil est præstabilius summa amplitudine & gravitate. Sit ita: sed da nobis populum, da cicatrices, carceres, exilia, supplicia, extinctiones generum, eversiones provinciarum, si eas nunc tragœdias exigis, quas aliquando oratores Græciæ & Latii effecerunt.

At *hoc ipsum est*, inquit Auctor clarissimus (*c*), *quod satis repeti nequit*, *eloquentiam non esse unquam nisi in ipsa re*. At quo modo, inquam, hoc dictum accipiemus? Eloquentiamne certis argumentis, veluti clathris, inclusam esse, quibus nequeat evadere? Misera eloquentia! quid enim faciet in causa tenui, angusta, jejuna? quo se vertet,

(a) *L. Orator c.* 38.
(b) *Ibidem c.* 21.
(c) *Réflexions p.* 325. L' éloquence, on ne sauroit trop le redire, n' est jamais que dans le sujet.

tet, ut flectat animos, atque ad suas partes adducat? Si nihil est opis in ea, nihil præsidii, quonam igitur modo viri eloquentissimi non minus exiguas causas vicere, quam magnas? nisi si forte exiguitati vel magnitudini natura ipsorum repugnavit.

Est quidem, fateor, eloquentia illa felicior, quæ materiam nacta illustrem & gravem, dare multitudini queat spectaculum multo nobilissimum, & vehementissimas in animis procellas excitare. Hæc sunt, quæ omnium plausus & admirationes commovent; hæc, quæ mentem implent, & augent animum, & altius memoriæ inhærescunt. Quamobrem epici poetæ & tragici res amplas, atroces, miras, insolitas persequuntur: nec quisquam, credo, mallet alias, si potestas fieret eligendi. At iisdem tantum addicere eloquentiam, nonne hoc est, eam de suo statu dejicere, & fortunæ quodammodo mancipare?

Enimvero sensit Cicero multo aliter: *Una est*, inquit (a), *eloquentia, quascumque in oras disputationis regionesque delata. Nam sive de cæli natura loquitur, sive de terræ, sive de divina re, sive de humana; sive ex inferiore loco, sive ex æquo, sive ex superiore; sive ut impellet homines, sive*

(a) L. 3. *de Orat. c. 6.*

sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet sive ut reflectat, sive ut incendat, sive ut leniat; sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum; rivis est diducta oratio, non fontibus, & quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. Hic vero eloquentiæ regnum video; video dignitatem amplitudinemque dominatus: nulli cancelli, nulli limites oppositi rerum, personarum, locorum, temporum.

Non id ergo voluit noster Philosophus, ut eloquendi vis certis esset finibus circumscripta: & quo modo id vellet is, qui eam secum in omnes prope disputationis plagas deduxisset? Illud, opinor, voluit, rebus ut oratio, quæ esset eloquens, conveniret; sive, ut melius Cicero in aureo libello, qui Orator inscribitur (a), *erit rebus ipsis*, inquit, *par & æqualis oratio*. Id quod ibidem clarius explicans paullo post, *Is*, inquit, *est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate potest dicere*: Ut videlicet sententiæ vivam exprimant rerum imaginem; & verba, ut scite inquit Petronius, colorem referant sententiarum.

Hæc vera, hæc propria est eloquentiæ no-

(a) *c. 35. & 39.*

notio, eloquentissimorum hominum tum lucubrationibus, tum judiciis apprime consentiens. Utique nihil ea debet habere abjectum, nihil flaccidum, nihil iners: tota sit, oportet, plena spiritus & actionis, ne simul cum oratione frigescat auditor & dormiat. Sed si genus ipsum volumus spectare, non speciem aliquam eloquentiæ, ad hujusce proprie naturam non pertinet nec tarditas, nec rapiditas, nec vehementia, nec lenitudo, nec gravitas, nec facetiæ, nec dulcedo, nec acrimonia, nec fulmina, nec illecebræ, sed accommodatio ad causam, accommodatio ad mentes & animos audientium, ut & obtineatur assensio, & affectio congruens excitetur. Nec vero hic magis requiritur commiseratio, quam lætitia, non magis terror, quam securitas, non magis odium, quam amor, pudor, contemtus, æmulatio, aut si quis est alius animi motus, dicentis consilio rebusque conveniens. Quæ autem est res, cui nullus conveniat?

Unde etiam liquet, quam vere dixerit Cicero, rem esse nullam, honestis scilicet auribus dignam, in qua tibi non liceat esse eloquenti. Eloquens est Demosthenes pro Ctesiphonte & contra Philippum; at eloquens etiam contra Leptinem: eloquens Cicero pro Milone & in Antonium; at eloquens etiam pro Cæcina, & pro Archia: ambo illi eloquentes in foro; at extra forum

elo-

eloquens Isocrates: eloquens in historia Herodotus, Thucydides, Xenophon; eloquens in re philosophica Plato & Cicero; in rhetorica item Cicero eloquens & Longinus & Auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Hunc commendat amplitudo, illum suavitas, alium abundantia, alium subtilitas, aut lepos, aut vis. Quid poetæ? Si eloquens est in heroicis rebus Homerus, in tragicis Sophocles, in splendidis Pindarus; est eloquens etiam Aristophanes in comicis, in festivis Anacreon, Theocritus in pastoritiis, Virgilius in rusticis, Horatius in satyricis: nec alia est ratio strictæ numeris, alia solutæ orationis: unus idemque est ubique, si non vultus, at spiritus eloquentiæ; siquidem unus idemque est hominis animus afficiendus, eadem rerum explicanda natura.

Sed quid sibi voluit Cicero l. 3. de Oratore c. 8. quum dixit de Cæsare illo seniore? *Res tragicas pœne comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit; atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur*. Egregia vero laus, ac prope singularis, quæ præclare & jam dicta confirmat, & illustrat augetque decus atque opes eloquentiæ. Ut enim sit rebus æqualis oratio, non est necesse in eo manere, quod in illis maxime exstat ac prominet. Quis vetat altius in abdita rerum pene-

netrare? Illic scilicet se se ostendent novæ qualitates & novæ formæ. Quamobrem fidenter Cicero in proœmio ad Paradoxa: *Nihil est*, ait, *tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & tamquam excolatur*. Quodque is verbo posuit, nonne ibidem confirmavit exemplo?

Sic est: multas quasi facies habet quælibet res, apertam unam atque spectabilem, alias abstrusas & occultas: neque ullus est tantus horror, ubi non sit aliquid amœnitatis; nec tanta hilaritas, ubi non aliquid tristitiæ; nec tanta gravitas, ubi non aliquid ridiculi; nec tanta magnitudo, ubi non aliquid parvitatis; nec contra parvitas, ubi non aliquid magnitudinis. Hæc veluti lineamenta boni malique acutius qui viderit, sciveritque sollertius alia premere, alia efferre, & magis ad vivum colorare, is certe efficiet probabilius, quod volet, & in quam partem volet, hominum sensus inclinabit.

Quare eloquentiam licet quodam modo cum illa Solis filia comparare, cujus nutu, ubi lubitum esset, horti, dumeta, rupes, palatia, antra, voragines, luci, fontes exsisterent. Atque utinam ipsa quoque Suada Circæis quasi poculis mentes hominum non vertisset identidem, atque ad brutorum temeritatem & vesaniam transtulisset!

Sed

Sed hoc ut omittam, quod est alienum, ac maneam in ipsa causa; quum tantum veri species in dicendo valeat; tanta sit autem veri & boni, mentis & animi, imaginationis & sensus conjunctio; tanta in eloquenti dictione probabilitas simul & gratia & suavitas: satisne videtur convenire cum probatione commotio, ut recte eloquentia possit persuasio appellari? At hæc pro rhetoribus dicta sunto, quorum famæ consultum volui: etsi nec illis hæc est defensio, ut vidimus, necessaria. Ego vero nec ipsum curo persuasionis nomen; si quidem res, ut opinor, jam perspecta est.

Ut igitur, quæ fusius disputavi, in pauca conferam, sublata omni controversia, videor mihi posse plane & simpliciter eloquentiam definire, *Dicendi rationem aptam ad eos, qui audiunt, afficiendos, quemadmodum vult ille, qui dicit*. Quid enim contradicas? Huc redeunt, quæ disseruimus omnia, finis, natura, officium, partes eloquentiæ. Hanc ipsam attulit definitionem Cicero l. 1. de Orat. c. 19., hanc in Bruto c. 50. explicuit & adoptavit. Nec noster Auctor sane rejiciet, quum eam videat, iis, de quibus quæritur, detractis, probe cum sua consentire. Quid enim interest, utrum dicas, *dicendo afficere auditores, ut velis*; vel, *ea quæ velis sensa, in aliorum animos injicere?*

Hoc

Hoc igitur retento, quod non solum antiquitas, sed res & veritas & natura ipsa constituit; quæritur, eadem illa dicendi ratio totane sit facultas a natura profecta; an vero ductu & subsidio artis indigeat, & quatenus hinc queat, aut nequeat adjuvari. Consulto enim omni non re tantum, sed etiam verbo abstinui, quod anticipationis vel præjudicii instar esset. Nunc munita jam via, atque aperto aditu in arcem quæstionis quid moramur invadere?

II.

Quid in Eloquentia valeat sensus, seu ingenium; Quid ars.

Vetus est ingenii cum arte, tamquam nobilitatis cum plebe contentio. Illud fortunatius, ut Flaccus vocat in sua ad Pisones epistola, suisque opibus florens, fortunatorum more se ostentat, nec satis habet, si primum in litterata republica locum teneat, nisi etiam extenuet ducatque pro nihilo quidquid est industriæ & laboris. Hinc illa, quæ jactantur in vulgus, arte nihil esse inanius, nihil miserius, quæ suos cultores vexet, non augeat: eam nihil de suo promere, aut siquid promat, non esse illud nativum & ingenuum, quod in sensus influat: naturam quippe non nisi naturæ vi & actione moveri. Atque eo nonnulli progressi sunt, ut insaniam potius, quam artem, laudis suæ consortem adsciscerent, ut est in eadem Flacci epistola (*a*): adeo est sui lena, & ambitiosa natura. At nonne videt, sibi cum sua nobilitate, si sola sit, statim ad glandes redeundum?

Quid

(a) *V. 269.* Excludit sanos Helicone poetas Democritus &c.

Quid autem putat artem esse? Nimirum, si bene noscit, est princeps ipsius filia; eadem adjutrix & comes; ac demum effectrix omnium, quotquot sunt, operum pulcherrimorum. Utique si artem accipis plane solitariam, in sterili & deserto solo; habes, quod illam despicias. Sed Viennæ te volo, aut Parisiis, aut Romæ. Vides, quæ sit viarum ædificiorumque descriptio, commoditas, amplitudo? Ex acervis lapidum quanta nobis templa & palatia exstiterunt! Ubi fuit antea horridum dumetum, en xystorum amœnitates, garrulitates fontium, nemorum opacitates, arbores, flores, fructus hortis Hesperidum potiores. Quid si ædes potentum, quid si officinas subeas? atque hic cernas aulea, toreumata, signa, tabulas pictas; illic quodam modo animari marmor, æs spirare, colores loqui; fœdam autem argillam & cinerem didicisse objectas imagines remittere, admovere res longe remotissimas, tenuissimas amplificare, tali se cultu fingere, ut regiis jam sint mensis & conclavibus expetenda. Hæc & multo his plura qui lustraverit, O artem, exclamet necesse est, admirandam artem, quæ tantam tot rebus potuit addere perfectionem! Ac mihi videre jam prope videor naturam attonitam & verecundantem, quæ ab arte se vinci sentiat; vel potius plaudentem sibi, & amicissime complectentem, non æmulam, sed perfectri-

cem

cem suam, a qua tantum commodi & decoris acceperit.

Quod de arte generatim, idemne possumus de hac nostra dicere? Nec enim, opinor, dices arte formas corporum perfici, mentium non perfici; quum potius omnis perfectio mentis sit, atque hinc debeat in res corporeas permanare. Et vero, an eloquentiam pœnituit, artis se legibus constrictam esse? Ipsa secum conferatur, utra sit præstabilior, naturalis, an artificiosa; exlex, an legitima; quæ in compitis, an quæ in scholis rhetorum nata est. Hoc est, quod osores artis torquet, ac cruciat.

Sed noster Auctor clarissimus, ut sapientior, sic moderatior ceteris & tutior, arti quidem eripit, ac sensui adjudicat veram & propriam eloquentiam: at ipsam tamen artem non repellit prorsus, nec privat omni utilitate, aut dignitate. Videndum igitur, recte ne sint factæ partes, an secus: & quoniam duplex est causæ, duplex sit pariter disputationis pars: & I. quid valeat sensus in eloquentia: II. quid ars valeat, inquiratur.

INTERIOREM illum sensum, qui rebus cietur externis, ac vicissim hominem in illas ciet, multa & magna posse, quis nescit, eoque plura & majora, quo acrioribus sit stimulis concitatus? Aspice, ut quisque alter sit a se ipso, quum primum incaluit,

D 2 Quæ

Quæ alacritas! quis ardor! quæ vis! Unde Sapiens quidam dixit, pulcherrimas inventiones fuisse ægritudinis & necessitatis filias: & unumquemque videmus sua cupiditate ingeniosum fieri. In eloquentia vero, ut est in proverbio, *Ardeat orator, si vult incendere*. At hocne sufficit, ut unus fiat auctor eloquentiæ sensus, stetque illud nostri Philosophi (*a*): *Senti vivide, & dic quod vis?*

Nimirum ibi esset eloquentia, ubicumque est sensus: ubi major sensus, ibi major eloquentia: nusquam vero eloquentia, ubi sensus non est. Itane vero? Age: oppida, vias, domos percurre. Quanta seges eloquentiæ, siquidem exsurgit e sensu! Hunc urit amor, illum angit invidia, alium acceptæ injuriæ dolor excruciat: ubique desideria, spes, metus, ambitio, æmulatio, cupiditas. Quot ergo lumina orationis, quot fulgura! Neque enim, credo, qui sic affecti sunt, obmutescent: erumpent ultro ex animis omnium efficaces illæ tumultuosi sensus imagines: quid enim ad explendum animum accommodatius? Quam porro eloquentes feminæ, quas constat sensu esse promtissimo & fervidissimo! Quid ii, qui in maximis angustiis periculisque versantur?

Illud miror, hos homines, quum de ipsorum

(a) *Réflexions p.* 321. Sentez vivement, & dites tout ce que vous voudrez.

rum fortunis, de salute, de capite ageretur; non ipsos dixisse suam causam, sed ad patronos, sæpe alienos, interdum frigidos confugisse. Quid? Crassus magis sentiret damna Curii, Antonius Aquillii, Cicero Murenæ, Milonis, Sextii, quam ii ipsi, qui iisdem damnis premerentur? Tempus autem non phaleras orationis poscebat, sed nervos: nec quemquam debuit retardare legum jurisque prudentia, quæ promta esset omnibus, nec magis pateret oratori, quam reo. Quid ergo egit iste præpotens sensus? quin prosiluit? quin exarsit? quin animos judicum expugnavit? Incipies, puto, diffidere huic eloquenti, qui in summa te necessitate destituat.

Ad oratores vero si venimus, satisne liquet, eos, nisi penitus sentiant, eloquentes esse non posse? nisi rem ipsi probent, non posse reddere aliis probabilem? nisi mirentur, sperent, irascantur, doleant intimis medullis, non posse in aliis admirationem, spem, dolorem, iracundiam concitare? Næ sinceram & simplicem facimus eloquentiam! Equidem non vellem aliam, si possem meo arbitrio fabricare. At optamusne eloquentiam, quæ nobis placeat; an qualis ea sit, exploramus? Quid si, quæret Tullius (*a*), fictus

(a) *L.* 2. *de Orat. c.* 45.

fictus dolor sit suscipiendus, fictum gaudium, ficta spes? quid si debeas tegere, quod maxime sentit animus, & longe aliud ostentare? quid si te locus & tempus jubeat defendere quod oppugnasti, oppugnare quod defendisti? Quod de Crasso & Antonio testatur Tullius (*a*); atque idem de se confitetur (*b*): ac longe erraret, qui veram oratoris sententiam ex ejus orationibus vellet elicere. An non is ornavit laudibus Gracchos, quos improbabat (*c*)? non Cæsarem in cælum extulit, quem ad inferos detrusum vellet? non deos marmoreos, quos ridebat philosophus, religiose invocavit orator? Et quanta est illa oratio pro Marcello! quam eloquens, nostri Auctoris judicio (*d*), peroratio pro Fontejo! quæ tamen præcipuum lumen ex Vestæ aris adscivit. Unde porro ea miseratio? unde faces in judicum mentes immissæ? Ex sensu, credo illius superstitionis, quam dicentis animus respuebat?

Nam quid Sinonis malitias referam? quid tot seditiosorum hominum turbulentissimas conciones? Abhorret animus: nihil nisi fictitium: aliud erat in pectore, aliud in ore ac

(a) *Ibid. c.* 55. *& pro Cluent. c.* 50. *&* 51.
(b) *Pro Cluent. ibid.*
(c) *De Rulli lege Agraria.*
(d) *Réflexions p.* 322. Nous ne pouvons lire sans être attendris les peroraisons... pour Fontejus &c.

ac vultu: venditabant fabulas, quibus ipsi nil crederent: larvas & rumusculos aucupabantur, in nugis tragœdias excitabant. Qui loquebatur, non sensus erat, sed scenicum sensus simulacrum (*a*). Nulla ergo eloquentia? Quis hoc dicat, qui eorum voce populos viderit, ut Euripum vento, impelli, volvi, misceri, agi voluntates, frenos excuti, leges, mores, cuncta subverti?

Alia cupiditas, inquies, supplevit aliam. Etiamne, si discors sit, atque contraria? ut avaritia vivam pariat imaginem beneficentiæ, iniquitas justitiæ, impietas religionis? Nam id Sycophantis solemne fuit, hac virtutum specie homines ad omne facinus incitare.

Neque hoc fugit nostrum Philosophum, qui sensui substituit illam visorum fictricem, quam græce dicimus phantasiam (*b*), magnam, ut scimus, poetarum deam. Nos vero, qui cum Cicerone posuimus maxima ex parte eloquentiam in sententiis aliqua specie illuminandis, plurimum non tribuere illi quî possumus? Enimvero quum te cogitas eo tempore & loco & statu esse, quem res tua po-

(a) *V. Réflexions Critiques sur la Poesie & par M. l'Abbé du Bos I. part. Sect.* 4.

(b) *Réflexions p.* 324. Notre ame a deux ressorts par lesquels on la met en mouvement, le sentiment & l'imagination &c.

postulat, atque in hac te cogitatione defigis; nisi es animo prorsus obtuso, æstuat cerebrum, ardet sanguis, mens, animus agitatur; errant tumultuosæ rerum imagines: jam tui oblivisceris, jam te non capis, jam ille es, qui fieri voluisti. Magnum eloquentiæ adjumentum! Nec alius, credo, est furor ille divinus, sine quo negat Plato, negat Democritus quemquam esse magnum poetam posse; Cicero negat etiam oratorem (*a*): quo enim modo sit oratio vehemens, nisi sit ipse commotior?

At quidquid dixeris, imaginatio tamen ista & cæca est & fallax: *Velut ægri somnia, vanæ Fingentur species*. Mirum, si hinc possit exire versuta illa & callide dicendi scientia; quodque sensus multo certior nequit, ut vidimus, etiam quum adest, efficere; possit hæc cerebrosa & fanatica fictrix visionum. Quot homines sunt phantasia admodum vivida, nullo judicio, eloquentia prope nulla!

Sed fallimur, qui putamus omnem imaginationem aut sensum a Philosopho fieri auctorem eloquentiæ. Vidit ipse melius, quam quisquam alius, sensum esse modo acutum, modo hebetem, modo tenuem, modo copiosum, modo infantem, modo eloquentem. Vi-

(a) *L. 1. de Divinat. c. 37.*

Vidit pariter imaginationem nunc delirare, nunc sapere; ac, sicubi imagines offerat expressas & vivas, quæ animos percellent, passim tamen nihil habere nisi absurdum & nugatorium. Nec potest aliter esse, quum animi sensus, ac præsertim imaginatio non tam ex profunda rerum cognitione pendeat, quam ex humorum temperatione, subtilitate, copia.

Nimirum vult Philosophus aliquid in eo genere magis exquisitum ac rarum, rectam, opinor, imaginationem, sensum acutum; sive, ut loquar clarius, sensui & imaginationi adjungit eximiam quandam intelligendi & excogitandi vim, quod vulgo ingenium nominatur. Ita plane: & quis dubitet, quum ipse ajat diserte, magna sensa nasci dumtaxat in magnorum virorum animis, & magnas *ideas* seu formas non nisi magnis ingeniis obvenire (*a*)? Idque jam denuntiabat ipsa ejus, quam vidimus, definitio, quæ videlicet facultatem eloquentiæ effectricem poneret in vi sentiendi non tam voluptatem & dolorem, quam amplitudinem & veritatem.

Et sane, quum meditamur aliquem dicendo flectere, non cordis, ut ita dicam, igniculos, fodicamus, sed mentis aciem contendimus: tametsi hæc ipsa contentio accendit ani-

(a) *Réflexions p.* 331. Le grand homme a trouvé ce sentiment dans son ame &c.

nimum, & imaginationem inflammat: unde vicissim magis & magis acies mentis acuitur. Quod utrumque expressit Cicero, ad Atticum scribens in materia, quæ jam videretur exhausta (a): *Et ingenium suppeditat... & amor, quo meum ingenium incitatur.* Ex quo sequitur, sententias & species ad movendum idoneas non nasci nisi ex præstantibus ingeniis, atque adeo ex ingeniis aliquo motu animi concitatis. Qualis autem sit motus, parum refert, amoris, odii, spei, timoris, ægritudinis, modo sit aliquis; non enim hic quæritur dicendi artifex, sed ingenii stimulator.

Finge tibi spatium Olympicum, finge currus & equos ad certamen undique confluentes. Concursus quidem ille & apparatus, æmulatio, clamor, flagella, stimuli multum valent. Flagrant omnia, contenditur tota vi. En imaginatio ac sensus. Sed quid est in primis, quod suo jure victoriam sibi vindicat? Ipsa equorum habitudo, agilitas, robur, generositas. Hoc est ingenium; quod tamen victum esset, si tanta concitatio defuisset.

Hinc pariter exstat causa tam magnæ in eloquentia varietatis: ut ea quidem in uno sit pressa, in alio copiosa, in alio acris, in

(a) *Et p.* 332. Une grande idée n'appartient qu'aux grands génies &c.

in alio festiva, in alio jocis & illecebris valeat, in alio gravitate atque vehementia; quamvis sensu sæpe simillimo provocetur. Etenim nonne videmus quotidie in eodem solo, sub eodem cælo, iisdem pluviis & caloribus diversos omnino fructus gigni pro diverso arborum ingenio? Quamquam nec ullam nego esse imaginationi & sensui, eamque variam efficientiam, ut post videbimus.

Verum quid inde? inquies. Eloquentiæ auctor sive sit motus animi suavis vel asper, qui vocetur sensus; sive sit ejus quasi vicaria imaginatio; sive ingenium, sive potius harum rerum omnium plena & beata complexio; num minus eloquentia est naturæ donum? num minus hinc præceptio & ars omnis excluditur? Sit ita nunc quidem: tamen illud proderit meminisse, &, quo res spectet, suo loco perspicies.

Veniat jam ista natura, quæ sola se donare rem tantam, quanta est dicendi scientia, profitetur. Hanc, quæso, ejus munificentiam, ne forte nos fallat, exploremus. Si natura ipsa est eloquens; ergo eloquentia erit æqualis ipsi naturæ, & una perinde atque altera longe lateque diffusa: non doctrina, non studium, non exercitatio, non exemplar aut forma ulla requiritur: numquid enim his eges auxiliis, ut sentias, ut imagineris, ut sis ingeniosus? Nec magis eloquendi vis dici poterit Athenis nata, quam

Su-

Susis; nec magis ex Pireæo, quam ex Caucaso deducta: nec melius eam disces ex Isocrate aut Demosthene, quam ex quovis quadrupede, radio e pulvere excitato. Quid ais? non hæc prodigia, non monstra videntur esse?

Equidem eloquentiæ monumenta repetens, eam reperio fuisse Romam deductam e Græcia. Scilicet usque ad Crassi ætatem aut Tullii excordes fuerunt illi terrarum domini, aut certe ingenio ita sopito, ut peregrino quasi pharmaco opus esset, quod veternum tam longum excitaret. Quid ipsa Græcia? nam sero admodum eloquio floruit. An & ipsa debuit a magistro aliquo admoneri, se cor habere? Ubi tandem, quave de causa tam diu ista nobis præclara natura delituit? Isocratem, credo, exspectabat, aut Gorgiam, ut expergisceretur denique, suasque vires agnosceret.

Videas utique ante illud tempus lineamenta quædam & quasi vestigia eloquentiæ; sed ipsum corpus & formam integram & absolutam non videas: immo nec vidit ille, qui universam fere antiquitatem vidit M. Tullius Cicero: Qui eloquentes e Græcis numerat omnino complures; sic tamen eloquentes, ut eloquentiæ parentem statuat fuisse illum, quem dicebam, Isocratem; ex cujus ludo, tamquam ex equo Trojano, eloquentiæ principes exivissent. De Romanis autem du-

durius in suo quodam libello scripsit Antonius (a), *Disertos se cognovisse nonnullos, eloquentem adhuc neminem*. Nec vero illum ipsum Crassum excepit, quem omnibus anteposuit, nisi postquam eum Tulliano ore loquentem audivit (b). Quid ad hæc natura? dicetne e luto meliore sibi deinde ficta esse præcordia?

Immo & multo ante, inquit. Necdum enim ulla erat ars eloquentiæ, & Homerus fuit longe eloquentissimus. Demades vero non e schola, sed e remigio magnus repente evasit orator: & in media barbarie orationes editæ sunt, quarum nec Athenas, nec Romam puduisset. Nec desunt hoc ipso tempore homines omnium litterarum expertes, atque adeo inimici, qui suo eloquio rhetoriscos obruant in artis, pœne dicam, gremio canescentes.

Cui difficultati sit hoc brevissimum responsum, me, quum artis jura defendo, non suam iccirco felicitatem optimæ invidere naturæ. Da mihi Demades, da mihi Homeros, da homines acumine, consilio, sollertia, magnitudine animi præditos plane mirabili; & artem hanc totam remitto. At vide, ne idem pariter de ceteris sit faciendum. Quid enim tibi cum poetica, quum sine

(a) *V. Cic. l. 1. de Orat. c. 21.*
(b) *L. 3. de Orat. c. 49.*

sine illa Homerus tantus evaserit? quid cum artificio construendæ periodi, quum id suo marte excogitarit Thrasymachus? quid cum ratione eligendorum componendorumque verborum, quum ipse per se effecerit Isocrates modum & numerum orationis? Hinc profecto jam prospicis, quam longe serpat ista progressio.

Nec minus absurda est illa optimæ naturæ comparatio cum arte sine natura. Hac enim detracta, quid jam ars habet ulla, quod moliatur? Neque hoc est rhetoricæ magis, quam aut musicæ aut picturæ aut architecturæ, aut artis cujuscumque; quæ relicta sibi, tota jaceat, necesse est, vel a mediocri natura profligata. Quum de arte quæritur, jam dixi, non hoc quæritur, quid ea seorsum valeat: immo nec quæritur, quid alicui, quid aliquando acciderit; neque illa spectantur divina ingenia, quæ ipsam possint artem procreare. Columbo non monstramus ad Antipodes viam, sed ex eo discimus.

Quamquam & illis naturæ miraculis plus damus fortasse, quam deceat, eosque facimus non tam homines summos, quam deos. Quod enim acumen, quæ sagacitas, quod consilium, quæ diligentia potuit ea innumerabilia, quibus ars quæque constat, ex se omnia comprehendere? Antiquitatis ignoratio fecit, ut eadem res inventa simul & perfe-

fecta ab eodem artifice crederetur: idemque fere contigit nobis, quod bonis illis Peripateticis, qui quum non viderent semina, unde plures arbores aut animalia nascerentur, inducti sunt, ut ea semina negarent, ac terræ & putredini fecunditatem, quæ non esset, attribuerent.

Quippe Homerum memoras. Sed primo poetam, ajo, non oratorem: quod quantum intersit, ex librorum de Oratore procœmio Ciceronis intelliges. Deinde ubi relinquis Apollinem? ubi Orpheum, Musæum, Linum? ubi ceteros, quos aut involvit caligo temporum, aut fabulosa antiquitas consecravit? Quid si ante Homerum fuit ars eloquentiæ, ac postmodum, ut aliæ multæ, extincta est? præsertim quum primis illis temporibus disciplinæ auribus potius, quam oculis & litteris traderentur: quod de antiquissimo illo Ægyptiorum rege memoriæ proditum est, qui oblatam sibi litterarum inventionem recusarit, ne memoria ei subsidio confisa pigresceret. Tullius certe de Herodoto loquens, Thucydide, Pericle, in quibus vera eloquentia cœpit splendere, diserte confirmat (a), ante eorum ætatem scriptores perveteres de oratione multa præcepta reliquisse. Ac de Mercurio quis ignorat, quam

sciens

(a) *L. Orator c.* 55.

sciens dicendi fuerit? *Mercuri, facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus.*

Nec me terret illa barbaria effectrix orationum tam excellentium; nec in dubium revocabo, barbarine eas fecerint, an scriptores, qui eas protulerunt. Non, inquam, barbaris detraho, sed accuso Græcos, qui, totam ut suam humanitatem facerent, omnes, qui Græci non essent, barbaros buccis inflatis vocitarent: quum tamen ex suis possent monumentis discere, Thalem, Pherecydem, Pythagoram, Democritum, Platonem, ex Chaldea, ex Ægypto, ex Persia, India, Phœnicia, Thracia maximam partem suæ scientiæ convexisse.

Restat ille, e remige factus orator, Demades. Sed quid si rei novitas homini famam conciliavit indebitam? Ejus certe nulla exstant vestigia (a). Quare licebit nobis non esse tam credulis. Cicero quidem parum admodum tribuit Græcis omnibus arte carentibus: & quamvis erga Romanos, quærens videlicet gratiam, vel timens invidiam, fuerit multo liberalior; induxit tamen Atticum, liberiore veluti falce plurimum amputantem de laudibus eorum eloquentium imperitorum (b).

Ve-

(a) *Cic. in Bruto c. 9.*
(b) *Ibid. c. 85. & 86.*

Verum fuerit aliquis valde eloquens, qui nil didicerit. Numquid is est Æschini aut Demostheni par? numquid non fuisset se ipso melior, si didicisset? quum sæpe videamus homines ingeniosiores a doctioribus superatos. Quod multi audent vel de Homero dicere, cujus ut ingenium facile Virgilio anteponunt, ita Æneidi non dubitant Iliadem Odysseamque postponere. Tametsi hæc summorum ingeniorum non tam est culpa, quam fatum, ut aliis major inventionis, aliis major perfectionis gloria relicta sit. Nec tantum, credo, haberemus Isocratem, aut Æschinem, aut Demosthenem, nisi Empedocles, Prodicus, Gorgias, Thucydides præivissent.

Quam enim aliam causam afferes, cur hac & illa ætate tres, quatuor, plures egregii oratores exstiterint; multis autem seculis ne unus quidem omnino probabilis? Cur dea illa Suada pœne balbutiret in Latio, dum Athenis tam rotunde & magnifice loquebatur? Nempe nunc noverca est natura, nunc parens. Ita quidem aliqui naturæ fautores solent eandem criminari. At iis infantiæ temporibus fuerunt Romæ, fuerunt in Græcia magni philosophi, magni poetæ, magni legum latores, magni exercituum duces, magni rerum publicarum gubernatores, qui ostenderent eloquentiæ longe aliud, quam sensum aut imaginationem, aut ingenium defuisse.

 Nec

Nec ego, inquit noster Philosophus, nec ego hoc ajo, præcepta nihil conferre ad eloquentiam. Illa quidem non facem præferant ingenio ad ardua connitenti; at hujus tamen errores coerceant (*a*). Quin ipse, ut suo loco dicam, adjungit totum illum ornatum, qui dicendi facultatem non roboret quidem, sed decoret. Atque hac moderatione ipse sibi visus est, ut opinor, posse se omnibus, quæ ex veteri memoria proferantur, sive testimoniis, sive auctoritatibus satisfacere. Siquidem illud potes verissime dicere, Isocratis & Tullii ætatibus cum Athenis, tum Romæ quandam effloruisse eloquentiam, quæ ante non esset visa, omnis videlicet expers vitii, omnibus elegantiis exornata.

Ego vero primum accipio lubens, quod datur: quod quidem tantum est, ut forte nec debeat eloquentia nomen artis dedignari. Nisi enim nos fallit Horatius (*b*), *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima Stultitia caruisse.* Nec parvi facimus eas disciplinas, quæ in vita, in moribus, in sermone, quidquid est fœdi & odiosi, compescunt nobis ac demetunt. Nimirum magna est accessio dignitatis, omnis pravitatis de-

(a) *Réflexions p.* 320. Les regles ne sont distinées qu'à être le frein du génie qui s'egare, & non le flambeau de génie qui prend l'essort &c.

(b) *L.* 1. *Epist.* 1.

decessio. Homerus, Aristophanes, Plautus, Martialis, Dantes, Areostus, depulsis vitiis, quanto essent ceteris, quanto se ipsis meliores! Quid si præterea novus accedat ornatus ac decor?

Verumtamen, quidquid dixeris, vereor, ut Cicero sit hac tributione contentus. Dicet enim se de vera eloquentia loqui, quum negat usque ad Crassum ullum fuisse Romæ eloquentem. Et possumusne dubitare, quum ipse cum Antonio vel disertum ab eloquente discernat (*a*)? ut ille sit, qui acute & dilucide possit dicere; hic autem, qui mirabilius & magnificentius augere, quæ velit. Scilicet c. 38. queritur vis oratoriæ latina sibi exempla deesse, præter Crassi perpauca: ex quo colligit: *Hæc vis quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum non habemus: aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus*. Age jam, eloquentia vera quid est, si non est vis, magnificentia, mirabilitas?

Deinde probabitne idem Cicero istiusmodi regulas, quæ refrenent tantum, non dirigant? quasi vero hoc unum rhetoris munus sit, tamquam decemviri, describere *tabulas peccare vetantes* (*b*): & tota rhetorica non magisterium sit, sed judicium. Nimi-

(a) *L. 1. de Orat, c. 21.*
(b) *Horat. l. 2. Epist. 1.*

mirum ecce tibi homo ingeniosus, eloquentiæ quidem cupidus, sed rudis atque integer. Quid tu? nihil docens, urgebis, stimulabis, hac, illa de re proferat, quod mens & animus suadebit: mox corripies: Pessume! quid hoc ad rem? hoc frigidum, hoc abjectum est, illud vanum, illud tumidum, illud scurrile: & nihil amplius. Quæso, istuc ne placet institutionis genus? Si pueri isto modo erudiantur, eosne putamus ad eloquentiam perventuros? Talisne fuit Isocratis schola, unde illi græcæ eloquentiæ principes exivere? Ac, si illa ratio in præceptis valet, cur non valeat in exemplis? quo enim modo hæc dirigant, si illa non dirigunt? Proposito igitur Demosthene, proposito Cicerone, notabuntur sola vitia, quibus carent; negligentur virtutes, quibus abundant. Quid enim hæ juvent, si ingenium non illustrant, nec regunt?

Sed hujus rei principium exquiramus. Nempe Lynceus homo est in cernendis virtutibus, lippus vero in erroribus ac vitiis, ut in his quidem monitore egeat, in illis autem non egeat. Immo, inquit Tullius (*a*): *Adest fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat*. Profertque exemplum sane conspicuum Romano-

rum,

(a) *L. 1. de Orat. c. 25.*

rum, qui suo tempore (Plautino ut verbo utar) atticizarent, sed quid proprium Atticorum esset, non intelligerent. Quid porro, quid non intelligebant? Audiamus ab ipso Tullio non solum præteriti temporis testimonium, sed etiam futuri de multis imitatoribus vaticinium (a): *Alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos; alterum pauci, laudabilia esse multa*. Ergone videmur solum ad cavenda vitia nos præceptionibus indigere?

Adde, quod plerumque nec nosci queunt vitia, nec tolli nisi contrariis virtutibus; & ita sunt altera alteris finitima, ut, utro velis, possis vocabulo designare. Igitur propemodum, ut est in fabula Terentiana, Tu languorem orationis respues: Ego alacritatem & spiritum deposcam: Tu pigmenta & fucos reprehendes: Decoram ego laudabo simplicitatem: Tu vertes vitio molestam similitudinem: ego jucundam varietatem in virtute ponam. Quis tandem hujus controversiæ finis erit, aut fructus?

Fateamur potius ingenue, quod verum est, & hinc & hinc multa esse ita perspicua, ut nemo nisi inconsideratus aut hebes non videat: multa vero ita obscura & abdita, ut identidem fallant aciem vel auctorem & dili-

gen-

(a) *De Optimo genere Oratorum c. 3.*

gentium philosophorum, quæque iccirco plurium ingeniorum sagacitatem considerationemque desiderent. Omnes certe doctores artium præstantissimi explicandum sibi censuerunt non solum, quid in iis esset fugiendum, sed etiam quid sequendum: nec suo magis nomine, quam communi locutus videtur Horatius, quum de poesi, quæ tamen habetur naturæ maxime propria, ad juvenes Pisones scripsit: *Munus & officium, nil scribens ipse, docebo*:

Unde parentur opes, quid alat formetque poetam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

Immo plerique in iis, quæ laudabilia essent, multo majorem operam collocarunt, & maluerunt intelligi ex virtutibus vitia, quam ex vitiis virtutes; quippe qui scirent, hoc magis Critici esse, illud doctoris.

In re autem nostra quid est tam aut suave, aut amplum atque mirabile, quod Aristoteles, Tullius, Quintilianus, Longinus non exposuerint? Subtilitas, vis, jocus, gravitas, altitudo, omnia sunt eorum doctissimis voluminibus comprehensa. Nec vero tanti viri, dum illa tanto studio aut consignarunt litteris, aut studiosis eloquentiæ commendarunt, id, credo, habuere propositum, ut frustra suum tempus consumerent, aut abuterentur alieno.

At

At enim, inquies, *non eloquentia ex artificio*, teste apud Ciceronem Crasso (*a*), *sed artificium ex eloquentia natum est*. At etiam, teste ipso Cicerone, nisi post artem conditam, eloquentia sive Athenis, sive Romæ non exstitit. Hæc igitur duo testimonia locupletissima pugnant inter se? Minime vero: nam & aliqua eloquentia, utique manca & imperfecta, fuit necessaria, ut ars effici posset: ac vicissim necessaria fuit ars, ut plena & perfecta exsisteret eloquentia.

Sed quid tandem potuit tota, quanta est, summorum rhetorum institutio? plusne peperit aliquid, quam de se ingenium peperisset? Et ecce jam altera quæstionis pars longe maxima, quæ nisi stet, etiam prior pars, & tota causa vacillat: ubi scilicet, quid ars ad eloquentiam valeat, opus est constituere. In quo non id solum mihi spectandum est, quod clarissimus Auctor dixerit, sed etiam quid possit dicere. Ars, inquis, sterilis & infecunda est; nec, si totam colligas, unam hinc exprimas sententiolam, quæ te augeat. Ergo nec venustatem, inquio; quam tamen Auctor ultro concedit. Sed quid si eloquentiæ vis pariter, ac venustas ex arte dimanet?

Adverte parumper animum ad agriculturam.

(a) *L.* 1. *de Orat. c.* 32.

ram. Nihilo est hæc fertilior, quam rhetorica. Sed adi Schœmbrunenses hortos, dignas imperii majestate delicias. Nolo te nunc mirari ædium amplitudinem, aut animantium omnis generis, quas misit quælibet pars mundi ultima, raritatem. Illa una nos vocat sterilis agri colendi peritia. Videsne non modo commensum, distributionem, ordinem, quæ jucundam efficiunt pulchritudinem: sed fruges multo surgere lætiores; terram plantis & flosculis, quos antea non noverat, exornari; poma longe dulciora pendere ex arbore non sua; tempestate vel maxime aliena rubere fraga, pruna flavescere, ficus turgere, livere pyra, uvas purpurascere? Quæ, quanta sunt hujusce sterilitatis miracula! Nempe terræ subactio, seminatio, insitio, caloris humorisque temperatio, uno verbo, is cultus, qui ne herbulam quidem ex se produceret, omnem naturæ felicitatem superavit.

En rhetoricæ imago expressa, quæ recte iccirco cultura ingenii appellatur. Si neutra cultura est ferax; ac si illa nil efficit in meris saxetis, hæc in cerebris nulla ingenita virtute pollentibus: quid item efficit agri, aut ingenii virtus inculta? Quod de poesi dixit Horatius, res ipsa dicit & ratio de ceteris seu facultatibus seu disciplinis: *Ego nec studium sine divite vena, Nec rude quid prosit video ingenium*. Ecquando exsistunt ope-

opera in omni genere præclarissima, quæ tantum præstent ceteris omnibus, quantum ii, quos dixi, horti circumfusæ regioni? Quando simul convenerit illud naturale bonum & hoc adventitium, id est facultas atque doctrina: quod pro Archia ait Cicero de Africano, Lælio, Furio, Catone.

Sed hæc, quæ levi manu attigimus, sive ad vim ingenii, sive ad utilitatem artium pertinentia, sunt paullo interius pertractanda: atque ille in primis est discutiendus error nonnullorum, qui putant, ingenium, sive cultum sive incultum sit, tantumdem posse depromere. Quos sane miror ne illud quidem videre, quod passim incurrit in oculos; quantum scilicet in omni negotio plus docti valeant, quam indocti. Quippe omnia tribuunt ingenio. At ignorantne, ut terræ fructus ex seminibus, sic fructus ingenii ex ante habitis cognitionibus maxima ex parte germinare?

Hoc enim maxime homo distat a bestiis, quod hæ quidem vix natæ tantum fere sciunt, quantum devexa ætate, nec plus multo valent cunctæ, quam singulæ. At hominum ætates & status si aspicias, quid tam dissimile? ut hinc tibi subeat gloriatio, hinc pudor. Gloriatio; quum opera hominum & inventa vides eo progressa, ut quandam præferant divinæ sapientiæ auctoritatem. Pudor vero; si ad primordia redeas, ibique obser-

ves

ves summos viros in ipsis rerum elementis, veluti pueros, hærere, caligare, deficere, ut pœne videantur omnibus brutis sequiores.

O si prima ædificia, si primas tabulas videres, si audires primos concentus eorum, qui jecerunt fundamenta musicæ, picturæ, architecturæ! Rerum talium nunc puderet infimum artificem. Adeone imbecillam ac stupidam eo tempore fuisse naturam! Ne illum quidem, qui plurimum cælo, solo, victui, fortunæ tribuat, eo usque puto desipere, ut minima, quæ nunc sunt, ingenia præponat maximis antiquitatis. Quid ergo fuit, cur hæc facerent minus, quam illa?

Quippe inest nobis excogitandi & perficiendi vis, quæ hanc nobis tam utilem & pulchram peperit rerum omnium varietatem. At ea vis, quæ in cunctis maxima est, in singulis est perexigua. Miseri homunciones! si solitarii sint, quo progrediantur? In quo providentissimum admiror supremi Auctoris consilium, qui facultatem illam dispertiens, commendarit omnibus vitæ societatem, cujus ope alii aliorum repertis proficerent; nec ii solum, qui ejusdem ætatis & civitatis essent, sed omnes omnium locorum ac temporum quodam inter se quasi beneficii vinculo colligarentur. Cui divino consilio qui fidelius paruerunt, quibus quantisque vitæ præsidiis & ornamentis affluunt?

Nec enim telluris tantum, non autem inge-

genii fructus commutantur; immo hi multo melius, quos & habet sibi, qui accipit; & qui cum aliis communicat, non amittit. Tolle hoc commercium: ecce tibi rerum cognitionumque penuria. Aspice illos quondam Græciæ magistros, Chaldæos, Ægyptios, Phœnices, Persas. Dum scientiæ domesticæ finibus se continent, ita sunt ab eadem Græcia superati, ut præ illa & haberentur barbari & dicerentur. Quid illi nunc, non dico, Afri aut Americani in silvis dispersi, sed Japones, sed Sinenses tot jam seculis in regni societatem congregati? An sunt cum Europæis comparandi, quamvis ibi tantum studium sit, tantus honos litteraturæ? Nos quidem ingenii opibus, si quas habent, ditati sumus: ipsi vero, dum se amant, & secum habitant, jacent adhuc in sua tenuitate, ne dicam, miseria: nisi si quid eo exterorum hominum liberalitas detulit.

Et mirabimur, si primi artifices, etsi ingeniosissimi, in illa temporum caligine opera deteriora dederint, quam vulgares nostri, qui in summa luce versantur? At si illud in musica, si in pictura & architectura accidit, cur non in eloquentia? cur non hæc quoque potuit, atque adeo debuit multorum cogitatis proficere? An non est opus, ut vidimus, ingenii; suamque, ut ceteræ disciplinæ, habuit infantiam; nec nisi sero nacta est plenam & perfectam maturitatem?

At-

Atque, ut rem distinctius explicem, sic intelligo, operum, quæ ab ingenio proficiscuntur, ideoque etiam eloquentiæ perfectionem hisce duabus rebus contineri; primo ut habeas conceptam animo perfectam rei formam, seu ideam, ut Græci appellant: deinde ut tanta sit animi mentisque vis, quæ sua actione eandem formam possit exprimere. Atque ut ab eo incipiam, in quo est caput controversiæ cum clarissimo Philosopho, id est a forma; ipsum interrogo, negetne forma juvari eloquentiam, an ex arte formam exsistere? Nam alterutrum, aut utrumque dicat, necesse est, qui arti negat vim dirigendi.

Eloquentiam forma nil juvat? At juvat picturam, juvat architecturam: cur non eloquentiam; quum ad eam pariter & hic & illic sit omnis actio exigenda? Quid Cicero, si forma nihil prodesset, in ea exprimenda totum Oratoris librum consumeret? Audimus quotidie cum in dicendo, tum in ceteris rebus quemdam, ut vocant, *bonum gustum* celebrari; quo qui careat, ut ut ingenio præditus sit, nihil boni posse proferre; qui eo gustu polleat, illum eminere atque splendescere. Nominantur non homines solum, sed etiam ætates; quæ tali gustu præcellerent, sintque etiamnum specimen perfectæ orationis. Quarumdem contra ætatum quanta est vilitas, quanta contemtio! Aberat scilicet bonus gustus.

Hic vero hic gustus aut nomen est vanum, aut illa ipsa, quam dico, eloquentiæ forma. Non aliud certe intellexit Cicero, quum dixit non uno in loco, Atticos, qui Demosthenis tempore dicendi gloria floruerunt, eodem omnes spectasse, eodem contendisse, etsi non omnes eodem venerint, & gradu potius perfectionis inter se distare, quam genere. Tantum in dicendi rationem influit forma dicenti proposita, suæ præsertim ætatis dominatrix!

At hanc formam quis effinxit? suone quisque ingenio? at quo modo una ætate tam similem, alia tam dissimilem? an suus est singulis ætatibus modulus, ad quem ingenia conformentur? Sed quid quærimus? Testis est Tullius, ut vidimus, illam formam e scholæ Isocratis egressam esse. At idemne Isocrates totam effecit? Immo vero perfecit: fuit enim philosophorum & rhetorum longe plurimorum. Atque hinc ex ipso facto licet æstimare, quæ sit ingeniorum seu copia, seu inopia; quæ formæ vis, quæ naturæ, quæ artificii. Etenim reperies & formam non nisi paullatim effectam esse, & ab artificio effectam, & simul cum ea forma eodem prope gradu progressam esse eloquentiam.

Jam dixi, a primis temporibus projecta fuisse a natura quasi aliqua lineamenta eloquentiæ; at lineamenta similia eorum, quæ sæpe in lapidibus & metallis cernimus: ubi sci-

scilicet natura visa est hominem aut belluam aut domum voluisse pingere: rem inchoavit, effecit aliquid non invenuste; mox abjecit quodam modo penicillum, opus deseruit. Neque hic picturæ, neque illic eloquentiæ est vera forma, sed formæ quædam initia. Natura indicavit, quid posset fieri; sed naturæ notatio & animadversio artem simul & formam peperit, ut ait Cicero *(a)*, & res ipsa declarat.

Ut enim sit plena & absoluta forma, requiritur, ut partes ejus singulæ explorentur; colligantur, quæ sunt dispersæ; quæ confusæ, ordinentur; quæ vitiosæ, ejiciantur; suppleantur, quæ desunt; perfectionis nullum omittatur genus; nec solum, quid bonum aut pravum sit, sed etiam, cur sit, explicetur: nec taceatur ratio & via, qua facillime certissimeque ad omnem omnium virtutum comprehensionem possis pervenire. Jam quæso te, hæcne tu omnia ex illis lineamentis intelliges? Immo vide, quam parum intellexerint illi acuti & seduli & docti philosophi, qui primi artem dicendi & formam tradere sunt aggressi. Testatur enim Aristoteles *(b)*, eos *omnino ad exiguum quid progressos esse*.

Ac si volumus monumenta vetustatis inspi-

(a) *L. 2. de Orat. c. 8.*
(b) *De Sophist. Elench. c. ult.*

spicere, inveniemus eandem artem & formam non solum compactam esse particulis undique desectis, ut de Promethei homine tradit fabula; sed particulis etiam multorum industria conquisitis. Empedocles enim prima rudimenta attulit, Protagoras communes locos, Gorgias figuras illustriores, Thrasymachus modum quendam verborum ac numerum. Quid digressiones dicam, quæ tantum aliquando splendorem afferunt orationi? quid partitiones tam sæpe utiles ad docendum? quid illa, quam Cicero vocat θέσιν, magnum eloquentiæ decus ac robur? quid amplificatio gravior? quid morum descriptio? quid affectuum implicatio, variatio, oppositio? Nec vero, quum eloquentiæ dicitur perfector Isocrates, putandus est nihil Aristoteli, aut Theophrasto, aut Tullio reliquisse: nec hi rursus tam aut sagaces aut diligentes putandi sunt, ut nihil amplius Quintiliano & Longino & ceteris dicendi artificibus superesset.

Age vero, quid dicis? nobis nil opus esse tot doctoribus & doctrinis? Quonam id modo? Nos uno intuitu videbimus eam formam integram, quam tot viri, nisi diuturnis & conjunctis observationibus non viderunt? Totus, credo, flos animi & ingenii noster est. Nos boni, si nec scimus ipsi, quid simus; nec quid sint artes, quibus fruimur; nec quantum iis, qui præiverint, debeamus! En

scri-

scriptor ingeniosissimus quid denuntiet (*a*) : *Neque est tam acris acies in naturis hominum & ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre*.

Mutata est ratio, inquies : veteres carebant exemplo: nobis in promtu est plena & perfecta forma in Demosthene, in Tullio, in ceteris oratoribus præstantissimis. Hoc, inquam, non dicet sane, qui dixit, *Senti vivide, & dic quod vis*. Sed fac dicere: illud tamen est confitendum, tam magna exempla futura non fuisse, nisi prius ars exstitisset. Et quis possit dubitare, quum videat artem & eloquentiam eodem fere gradu processisse, neque hanc prius, quam illam fuisse perfectam? Ostende enim si potes, hanc perfectam eloquentiam aut Athenis ante Isocratem, aut Romæ ante doctrinam sumtam e Græcis.

Sed esto, ut libet, in exemplis forma tam absoluta, qualem in suo Oratore Cicero fatetur se intelligere & optare potius, quam uspiám contueri. Istucne satis? satisne, inquam, est pictas Raphaelis tabulas habere sibi propositas, ut picturæ forma & perfectio teneatur? satis, videre pulcherrimum ædificium; satis, audire suavissimum concentum, ut architecturæ & musicæ sis intelligens? Spectatores & auditores interroga; interroga te ipsum,

(a) *Cic. l.* 3. *de Orat. c.* 31.

ipsum, nisi forte didicisti. Gaudes, miraris, clamas, *Euge, bene, belle, nihil melius*. Errat tibi in mente imago aliqua pulchritudinis, sed confusa: ac male tibi, si jubearis illam dicendo explicare! hærebit aqua, aut abibis in meras ineptias. Quid puer? quid adolescentulus? Raphaelis miraculis vix non anteponet monstra illa, quæ sunt in pagorum sepulcretis, quippe audacioribus coloribus effulgentia.

Liceat demum proferre, quod verum est. Adversarii maxime omnium bonis artibus metuendi, sunt domestici, non externi, periti earumdem artium, non ignari. Hos statim sua ipsa prodit inscitia: sed illi, qui sciunt, suam quisque magistram possunt facile traducere. Quid, quod homo ita est factus, ut, quod a teneris didicerit, aut nihil faciat adultus, aut tribuat naturali facultati? Id quod in beneficiis maxime usuvenit, ubi ingenitæ levitati & imprudentiæ adjungitur præstigiator ille vaferrimus, cæcus amor sui, cui perinde gravis est & benefacti gratia, & præteritæ indigentiæ recordatio. Quantum quisque nutrici suæ debet! Ab illa in primis est ista habitudo corporis, ista vis, alacritas, valetudo, qua nunc exsultas. Te miserum, nisi illa tam bene aluisset & curasset infantem! Ut tamen adolevimus, ejus prope nos pudet pigetque: nempe (dicamus submissa voce) conscia & testis est nostræ infirmitatis.

Et recte, *nutricem oratoris* Cicero (*a*) appellat rhetoricam. Quidni, quum hæc te infantem susceperit, & linguam, gestum, sermonem, mentem, animum conformaverit? At eadem scit eorum nostrorum temporum miserias. Addo illud, quod non minus valet ad fallaciam: rhetorica nimis facilis & assidua facta est: ubique occurrit, prostat in libris, eminet e cathedris, tonat in templis, blanditur in theatris; quoquo te vertas denique, voce, scripto, prosa, versu, festiva, seria, venalis, gratuita, copiam sui volenti, nolenti facit: *Ohe jam*, ut exclames cum sene Horatiano (*b*), ejusque importunitati succenseas. Quid mirum ergo, si eam contemnas, cujus nunquam desiderium senseris, sæpe tuleris fastidium, in media urbanitate, atque in rhetoricæ pœne gremio natus & educatus? At refer te ad illa tempora, quibus ars condita nondum erat: eductum te finge in montana rusticitate, ubi nullum disciplinæ vestigium appareat: idemne videres? idemne intelligeres? easdem eloquentium hominum virtutes haberes cognitas?

Quod si velimus singulari ingenii tui felicitati concedere, ut ipse, nemine monstrante, noveris & brevitatem Thucydidis, & magniloquentiam Gorgiæ, & dulcedinem Isocra-

(a) *L. Orator c.* 11.
(b) *L.* 2. *Sat.* 5.

cratis, & subtilitatem Lysiæ, & abundantiam Platonis, & acrimoniam splendoremque Æschinis, & altitudinem gravitatemque Demosthenis: non iccirco nulla est artis utilitas. Restat enim aliquid, sine quo, teste Cicerone (*a*), eloquentia esse nulla potest; restat, inquam, omnium virtutum perfectrix & moderatrix prudentia. Quam quidem prudentiam idem Cicero docet esse artis maxime propriam (*b*): arte siquidem magistra, *ea quæ natura, quæ studio, quæ exercitatione consequimur, aut recta esse confidimus, aut prava intelligimus, quum, quo referenda sint, didicerimus.*

Esto enim, ex ingenio præclara multa proveniant: tamen istuc, quidquid est, boni, pergit idem Cicero (*c*), *quia fortuito fit, semper paratum esse non potest.* Et quamvis gravis auctor sponte confiteatur (*d*), tacitum cuique inesse animi sensum, qui a rectis prava discernat: universe tamen pronuntiare non dubitat (*e*); *Ars est dux certior, quam natura.* Multum enim refert, utrum tu solus judices, an cum pluribus; utrum ex sensu tuo, an ex sensu communi; utrum ex cæco

(a) *In Bruto c. 6. & alibi.*
(b) *L. de Orat. c. 27.*
(c) *In Bruto c. 29.*
(d) *L. 3. de Orat.*
(e) *L. 4. de Fin. c. 4.*

cæco aliquo instinctu, an cum sapientissimo quasi consilio antiquitatis. Ille ipse apud Ciceronem nihil admodum amicus artis Antonius fatetur ultro (a), in hoc genere labi quam plurimos, nec satis distinguere quid agitari expediat, quid tangi leviter, quid obrui prorsus ac prætermitti, quid uno modo dictum proficiat, alio modo dictum officiat. Nos ipsi nonne persæpe artis monitu intelleximus delenda, vel aliter fingenda esse, quæ æstuante ingenio viderentur nobis esse mirifica?

Neque hoc non vidit acutissimus & doctissimus noster Philosophus: at inter ipsum & Ciceronem hoc interest, quod ipse hanc prudentiam vitiositatis, ut dixi, finibus circumscribat; Cicero vero proferat ad omnem eloquentiæ perfectionem. Uter autem sit verior, auditis partibus tuum est judicare. Si quis vero statuat, hanc altiorem prudentiam ita esse naturæ, ut nulla possit arte suppleri; facile concedam de iis, quibus, uti personæ Æsopicæ, nullum sit cerebrum: ad ceteros quod attinet, quam ergo ad rem, inquio, tot summi viri tam multa ediderunt de re privata & publica administranda? cur sapiens quisque nos jubet populorum & temporum monumenta pervolvere? Quid enim est

(a) *L. 2. de Orat. c. 72.*

est historia, nisi præteritarum rerum, causarum, effectuum recordatio, unde conjecturam facias de futuris? quid illa tam sæpe græco nomine jactata seu Œconomice, seu Politice, nisi illa ipsa causarum, effectuum, modorumque series ad ordinem & examen revocata? Ac, si rem, non verba persequimur, utraque illa quid est, nisi generalis quædam bene agendi prudentia partim ex eventis, partim ex ratione collecta; uti est rhetorica prudentia bene loquendi? Et, si ille magnus Alexandri magni magister creditur præceptis suis non solum alumni sui vitia resecasse, sed ejus quoque mentem ad summa quæque præparavisse: cur non idem credatur fecisse cum suo oratore, tot curis & artificiis elaborato? Statuere finem, quo tendas; vias, quæ illuc ducant, demonstrare; propensiones hominum varias & affectiones exponere; notare personarum, locorum, temporum differentias; indicare pericula; ostendere nunc effugia, nunc præsidia; proferre in medium, quæ delectent, quæ capiant, quæ percellant; atque harum rerum omnium modos, exempla, causas, vices patefacere; hæc, inquam, omnia nihilone te facient, nisi si stipes & alga es, ad dicendum certiorem? Nam quum de arte loquor, de illa loquor naturæ & philosophiæ filia, quam notatio, ut dixi, peperit, animadversio excoluit, Academia perfecit; quam Iso-

crates, Aristoteles, Tullius, Quintilianus, Longinus protulerunt.

Ut libet, inquit noster Philosophus: quidquid est tamen amplum atque mirabile, id totum est ingenii, & summi ingenii. Non ulla est regula, quæ Shakespearo obtulerit mirandam Hamleti scenam (*a*): utique scenam illam fossorum barbaram & fœdam sustulisset. Audio: nec ego is sum qui hæc prodigia arti tribuam. Non equidem, non arte ulla, quamvis sit docta & sagax, puto effici posse aut Alexandros, aut Apelles, aut Tullios, aut Virgilios: quis eo insaniat? Id unum quæro, utrum sine ulla doctrina tales ac tanti Alexandri, Apelles, Tullii, Virgilii exstitissent. Hic standum: tota in hoc vertitur controversia. Atqui scimus (*b*), C. Curionem *naturam habuisse admirabilem ad dicendum*: at scimus pariter nihil minus fuisse, quam in dicendo admirabilem. Ad poesim, si quisquam alius, natus sane erat Ovidius: at enim poeta, in quo multa desideres. Quis ad cothurnum, quis ad tubam aptior, quam tuus ille Shakespearus, aut noster Dantes? Hujus Ugolinus nihilo minus mi-

(a) *Réflexions p.* 320. Ce ne sont point les regles qui ont inspiré à Shakespear le monologue admirable d'Hamlet; mais elles nous auroient épargné la scene barbare & dégoûtant des fossoyeur &c.

(b) *Cic. in Bruto c.* 81.

mirabilis, quam illius Hamletus. At dic, quæso te, nihilne uterque dedisset melius, si melius sui poematis leges & pulchritudines tenuisset? Quamquam nec eam, quam habet laudem, quæ sane maxima est, recusat Italus cum Virgilio communicare: nec Anglus negaret patriæ suæ notam fuisse tragœdiam, quæ ibidem tanto ante cœpta fuerit exerceri (*a*).

Paucis: loci in quovis eloquentiæ genere mirabiles non exsistunt nisi e summis ingeniis: id convenit inter nos. Non exsistunt nisi ex ingeniis sensu animi & furore concitatis: neque de hoc nunc litigo. Illud addo, non nisi ex ingeniis arte expolitis. Quippe ingenium ad magna fere non surgit, nisi quædam magnitudinis sit forma præcognita: forma autem non noscitur, nisi artis præsidio: ut ex prima rerum inventione est manifestum. Ac si qua forte forma præluceat, eam tamen plene non exprimet, nisi qui teneat regulam, ad quam opus exigatur.

De opere præsertim loquor paullo subtilioris & longioris fili, quod nunquam deducet, qui artem aut ignoret, aut negligat, quamvis ingenio præditus plane singulari. O Cæsaris apud Virgilium amplitudinem, majestatemque populi Romani! Quis est tam stupidus,

(a) *Anno forte 1118. V. Nouvel Abregé Chronologique de l'Histoire de France &c. par M. Henault.*

dus, quem tanta species non percellat? Quis autem tam agrestis & ferreus, quem Didonis, quem Euryali, aut Marcelli fata non frangant? Ostende mihi, si potes, hominem rudem, qui hæc æquaverit. Quid hæc dico? ne passerculum quidem illum Catullianum; ne parvulam quidem imaginem, quem Catullus servavit ex Sapphus interitu. Ut ut res perparva sit; tot tamen sunt quasi lineæ, tot puncta, tanta lucis, umbræ, colorum distributio, ut non nisi a perita manu possit absolvi.

At interrogentur, inquit noster Philosophus *(a)*, interrogentur ingeniosi auctores: locos suorum operum pulcherrimos ipsi fatebuntur stetisse sibi minimo labore: naturæ ut intelligas eos locos esse, non artis. At facilius est id dicere, quam probare. Mentis nunc alienatio, nunc intentio, meditationis jucunditas, vana etiam quædam gloriola ipsis sæpe illudit auctoribus. Equidem illi facile credam, quorum scripta sunt inæqualia, ac de quibus melius fortuna est merita, quam sollertia: at summis illis & perfectis quî credam, quum ex Tullio audiam in primo de Oratore, optima non occurrere, nisi *anquiren-*

(a) *Réflexions p.* 321. Qu'on interroge les ecrivains de génie sur les plus beaux endroits de leurs ouvrages; ils avoueront presque toujours que ces endroits sont ceux qui leur ont coûté le moins &c.

ventibus nobis, *omnique acie ingenii contemplantibus?* quum legam Demosthenem, quoties instaret causa aliqua gravior, solitum esse in subterraneo secessu cogitabundum permultos dies delitescere? Quid Pascalius, Philosophi nostri judicio, summum exemplar eloquentiæ? Non testis est, qui ejus *Cogitationes edidit* (*a*), *eum fere nunquam primis cogitatis contentum fuisse*, *aliqua autem opera octies aut decies refinxisse?* Sed ecce unus pro omnibus fervens & sagax Horatius non modo ingenue confitens suum *laborem plurimum*, & præscribens ceteris, præsertim in aurea ad Pisones epistola, sed etiam ridens istos *operæ celeris* scriptores, in quo habet socium Catullum; nec quidquam probans, nisi quod *multa dies & multa litura coercuit*. Et vero, sicubi cessarunt ipsi artifices summi, nonne ab inferioribus sunt æquati, atque adeo superati, ut in aliqua tabula Raphael a Maratto (*b*)?

Nec dicas, ibi solum laborem esse, ubi non est eloquentia. Neque enim id sonant allata testimonia; ac refellunt ipsi, penitus in-

(a) *V. Pensées de M. Pascal*, *Preface*: Qu'il ne se contentoit presque jamais de ses premières pensées quelques bonnes qu'elles parussent aux autres, & qu'il a refait souvent jusqu'à huit ou dix fois des pieces que tout autre que lui trouvoit admirables des la première.

(b) *V. Du Bos t. 2. Réflexions Critiques sur la Poesie & sur la Peinture sect. 11.*

inspecti, loci eloquentissimi. Quid aliud, quam summum studium & laborem denuntiat tanta illa rerum & sententiarum seu electio, seu distributio, seu conformatio? Sed fallit nos ingenuus ille & naturalis color. Ecce affertur tibi per hiemem recens ex arbore, rubicundum, fragrans, mellitum pomum. O pulchrum! felix arbor, hortus beatus! quasi carpendum illud tantummodo fuisset ex ramo, sua sponte natum. At narret pomarius, quo sibi steterit pretio tanta felicitas. Non aliter in eloquentia: fluunt omnia: suo nutu videntur ex animo manare: solus auctor scit & sentit hujus nativæ felicitatis lentissima negotia. Non est, non est optanti exposita summa in ullo genere perfectio: nec intelligo, cur ceteræ sermonis pulchritudines laborem postulent; non autem postulet pulchritudo omnium maxima, ipsa scilicet eloquentia; perinde quasi non eadem esset ubique ratio visque naturæ.

Quamquam, ut melius constet veritas, distingue bonas cogitationes ab earum expolitione: distingue ea, quæ paucis continentur verbis, ab iis, quæ sunt majoris moliminis: distingue demum ea, quæ crassius & levius, ab iis quæ subtilius & profundius sunt evolvenda, ut ciendis mentibus sint idonea. Illa, quæ prima sunt, habeat sibi aliquando natura: multa enim eximia in ipso temporis articulo tibi incidunt nec quærenti: multa

ex

ex ore prius effluunt, quam perpenderis: multa sine studio funduntur quodam veluti instinctu. At semperne? at plerumque? at sæpe?

Altera vero longiora, subtiliora, altiora si incogitans & rudis natura sibi arroget, fidenter dico, mentiatur. Exemplo sit illa omnium eloquentissima Tullii pro Milone peroratio. Alia utique sententia manat ex alia; alius affectus quodam modo alium progignit: est ordo, est junctura; ipsa natura expressa est. At cernis, quam callide sint præparata omnia! quam accommodata personis; & pro differentia rerum variata! Ut e corde ad mentem, e sensu ad philosophiam, ex altitudine ab submissionem, ex duritate ad mollitudinem flexa est oratio & reflexa? It, redit, inclinatur, erigitur, cedit, invadit, lenitur, obdurat, major ut semper gliscat tumultus atque æstus animorum. Quis Raphael scivit aptius formas distribuere? Quis Titianus aut Rubens coloribus magis vivis animare? & hoc ego levis operæ, brevis horæ esse opus putem?

Sed fac, putem: age dic, hoc qui præstent, sintne imperiti, an periti, inexperti, an experti, Curiones, quos supra dixi, an Cicerones? Insignis aliqua imago uno fere momento temporis effecta est, sed ab excellentissimo pictore, non ab eo, qui rubricam primo tetigerit. Quid, quod illorum summorum

rum artificum tanta est sæpe concitatio animi, tanta mentis contentio, tam celeres ingenii motus, ut plus ipsi laborent & cogitent una hora, quam ceteri una die? Multum interest, utrum repas ut testudo, an voles ut aquila. Nec si de arte nihil cogitant, iccirco arti nil debent. Et musicus, & saltator egregius scite crispat vocem, & corpus vibrat ex tempore sine cogitatione palæstricæ artis aut musicæ: qui tamen illud non faceret, nisi multa doctrina & exercitatione formatus. Nec tamen te prætereat, magnum esse discrimen, ab egregio artifice opusne sit factum properata opera, uno die, an accurato studio, uno anno. Ab egregio inquam: nam illos nil moror, qui tali sunt ingenio, ut, si quid ferre possint, actutum ferant, deterius facturi, si diutius meditentur: homines in superficie habentes omnia, perfecti nihil, nisi largiente fortuna.

Ut autem simus liberalissimi, & certos locos permittamus seu fortunæ, seu naturæ, quid tandem? Faber es Horatianus (*a*): pulchre capillos imitaris, ungues, manus etiam, si Superis placet, genas, oculos: at sciesne *totum ponere?* Hic maxime te premit Horatius cum illo suo, *Nec rude quid prosit video ingenium*. Hæc enim, ut ejusdem Hora-

(a) *In Poetica*.

ratii verbis utar, *auræ divinæ particula* quid dabit amplius, quam particulas aliquot perfectionis? Mitto Homerum, mitto primos inventores: aspice Æschylum, Aristophanem, Lucilium, Ennium, Plautum, qui floruerunt arte jam adulta, etsi non plane perfecta: huc adde, quos dixi, Dantem, Areostum, Shakespearum: quales viri & quanti! Tanti scilicet, qui non solum in suo curriculo possent cæteros prævertere, sed pandere novas terras, & vias non ante notas aperire. Tamen Æschylo eripit palmam Sophocles, Aristophani Menander, Lucilio Horatius, Ennio Virgilius, Shakespearo Cornelius, ac forte Cornelio Racinus: Areostus vero si Dantem superat, eo videtur tamen Tasso minor in toto, quo est major in multis partibus: quod etiam de Miltono ausim dicere: quin tamen ullus ad Maronis gloriam pervenerit, artis potius, ut opinor, vitio quam naturæ.

Quippe *nihil potest esse æquabile, quod non a certa ratione proficiscatur* (*a*): quæ magni oratoris & philosophi est sententia omnium seculorum testimonio comprobata. Altum quidem ingenium majora & meliora videat, quam artifex mediocris: at sibi suisque luminibus relictum quam multa imprudens præterit non levia, interdum necessaria!

(a) *Cic. l.* 2. *Tusc. Quæst. c.* 27.

fia! Naturalis virtus, quæ sola sit, si non jacet, ac corrumpitur; at certe minus assurgit ac splendet, comitatu suo & præsidio destituta. Et in re tam ardua, cujusmodi est eloquentia, quis dubitet, quum, teste Cicerone, nulli adhuc rei contigerit, ut ab eodem homine inventa fuerit & perfecta?

Hactenus non nisi de forma, quam primam posui ad dicendum necessariam: atque ita locutus sum, quasi vero altera res, nempe vis animi & ingenii, quæ illam formam exprimeret, nihil ad artem pertineret. Et sane ipsa efficientia cujus potest esse nisi naturæ? Quamobrem Quintilianus, qui arte omnino dirigi vult eloquentiam, inventionem tamen, id est effectionem rerum, quibus conflatur oratio, in iis numerat, quæ tradi arte non possunt. Sed quid si hujus ipsius effectionis ars aliquo modo sit particeps?

Præterquam enim quod natura nec cogitaret multa, nisi forma, ut dixi, eorum monstraret genus: parumne ars proficit, dum cogit ingenium ad optima quæque contendere? En res proponitur: ingenium mox aliquid excogitat; ars respuit; poscit nescio quid melius. Illud promit alia & alia cogitata: hæc iterum, melius, clamat, adhuc melius: donec tandem id prodeat, quod suæ sit formæ perfectionique conveniens. Ac nonne hæc ipsa est contentio, quæ tot dedit lucubrationes omnis generis absolutissimas? Nec aliud

vo-

voluit Horatius, quum tam diu jussit premi carmina, quæ longum essent scriptori ævum prorogatura.

Cicero autem nec contemnit illos, quos vocant, inventionis fontes, audetque dicere (*a*), *ad inveniendum expeditam esse Hermagoræ disciplinam*. Nimirum tantum & tam copiosum ingenium multo acutius, quam nos, viderat, quæ nostris mentibus seu torpedo, seu caligo offusa esset, ingenitam feracitatem tardatura, nisi adscitis excuteretur stimulis, aut luminibus duceretur.

Illud vero maximum omnium, quod, quo major est rerum in quovis genere notitia, eo quoque major est vis & ubertas inventionis. Imperatori sine dubio, cui partim ex arte, partim ex historia multi jam sint perspecti instructionis & defensionis & oppugnationis modi, multo plura obvenient novis casibus & necessitatibus consentanea, quam ei, qui ad rem militarem integer & rudis accesserit. Sive sit quædam etiam in cogitationibus quasi vis attrahens, ut alia aliam eliciat; sive talis sit ingenii indoles, quæ doctrinæ velut fomite vel excitamento egeat ad opes suas omnes efferendas; sive, ut potius reor, quia omnis fere inventio non tam est rerum novarum effectio, quam veterum assi-

(a) *In Bruto c. 72.*

assimilatio & compositio; illud sane experientia compertum est, eo te plura excogitare, quo plura noveris. Et quid mirum, quum ex aliis doctrinis & institutionibus alii etiam affectus, alii spiritus, alii sensus animi exoriantur? Sed hoc alterius est loci & temporis.

Nunc quæro, iis, quæ supra dixi, sive de eloquentiæ, sive de ingenii natura constitutis, videaturne aliquid ars posse ad Suadæ non modo venustatem & munditiem, sed etiam robur amplitudinemque conferre? Verum ut hæc omnia fiant planiora, tollamus verba; ad facta clara & illustria revertamur, collecta ex omni memoria: hoc enim argumentationis genere gaudet maxime sanior philosophia suis diffisa acuminibus, experimentis nixa. Hic luce clarior se se ostendet virtus naturæ & artis; immo & artium quarumcumque tam similis & constans ratio, ut, quod uni dederis, sit dandum omnibus; quod uni detraxeris, omnibus detrahendum.

Redeat igitur in mentem Græcia & Italia: verte te ad Galliam, ad Britanniam, ad Germaniam: percurre quotquot usquam sunt politæ nationes. Eadem ubique rerum facies: eadem rudia & imperfecta principia: nullibi perfecta opera, non orationes, non poemata, non ædificia, signa, tabulæ, toreumata, peristromata, nisi collatis studiis, artibusque provectis. Græci illi tam acuti ad in-

inveniendum, tam ad agendum industrii, usque ad Themistoclem tam rudes erant, quam Romani imperio terrarum pares, antequam capta Græcia, inquit Horatius, victores caperet: si poesim excipias multo ante cognitam & excultam, cujus rudimenta qualia fuerint, potes conjicere ex Romanorum versibus Saliaribus. Nam de re bellica nihil opus est dicere, quum eam apud utrumque populum ambitio aut necessitas protulerit, exercitatio auxerit, observatio & sagacitas cumularit: quo pacto & ceteræ artes perfectæ sunt.

Quid dicam de illa barbarie, quæ Romani imperii inclinationem & interitum est consecuta? Parum enim interest, utrum alicubi nunquam viguerint bonæ artes, an postea sint extinctæ: eadem quippe incumbit populis inscitia. Proinde multis annis in Europa, Asia, Africa nullus fere sculptor, pictor nullus, nullus architectus, musicus, poeta, orator magnus evasit. Atqui multis & locis & temporibus fuit præmium, fuit honor industriæ, non pax defuit, non principum favor, non artificum labor & studium: immo, quod artis necessitatem maxime declarat, non deerant absoluta omnibus numeris exempla; erant in oculis, erant in manibus plurimorum, qui tamen in illis formam rerum optimam non videbant. Deerat natura, inquies. At verene hæc deerat, an potius,

sublatis artibus, veluti succisis viribus, & mentis lumine detracto, ad primam erat pueritiam revoluta? Index sit ac testis ejusdem, ut ita dicam, naturæ restitutio.

Quî enim ad suam quasi maturitatem & perfectionem rediit? cogitando, explorando suas visiones, novas formas confingendo? Forte etiamnum puerasceret. Via expedita sunt veterum documenta & exempla. Hoc vidit in re architectonica Brunellescus, in Statuaria Bonarota, in pictura Urbinas, in litteris Petrarca, Dantes, Pontanus. Tota summo ardore conquiritur, vestigatur antiquitas: volumina græca, latina, statuæ, signa, tabulæ pictæ, monumenta, rudera omnia inspiciuntur, pervolvuntur, considerantur: forma, quæ latebat, elicitur; ad ejus imitationem omnis cura & conatus intenditur. Quæ tibi non longo tempore rerum commutatio! Reviviscunt Athenæ illæ veteres; suisque e tumulis consurgens Roma novos Apelles, novos Phidias, Prasiteles, Lysippos, Vitruvios admiratur. Nec sui Italiæ Virgilii, non Tibulli & Horatii defuere, & Bruti & Cæsares & Hortensii: ac, si Tullius desideratur (cui tamen proximi sunt Casa & Badovarus), occasio verius, quam facultas defuit; vel si facultas, illud certe possum de illis confirmare, quod de Atticis Demosthenis æqualibus idem Tullius, eos distare non genere perfectionis, sed gradu.

At-

Atque hoc soline Italiæ contigit? Utinam possem recensere nationes quotquòt sunt rerum gestarum & bonarum artium gloria nobilissimæ! Quum autem nobis cum Gallo Philosopho res sit, Gallia certe non est tacenda. Sua, inquam, Gallia usque ad Franciscum I. quid fuit? Dicere non audeo: de re, quæ nunc agitur, audiatur ipse Philosophus: Ante Balzacum, inquit (a), *nostra oratio soluta erat adhuc rudis & barbara*. Quod si eadem Gallia evasit paullo post politissima; si scriptores tulit omnis generis excellentes; si novam addidit permultis artibus perfectionem ac decus; si non una in re exemplum & norma ceteris nationibus facta est: dicat, quæso, idem Philosophus, an ipsa ex se se normam acceperit? an se solam audierit? an sola sua sensa & cogitata depromserit? Sic enim erat faciendum, siquidem eximiorum operum dux est & auctor natura. At Gallia hoc sibi nec arrogavit unquam, nec arrogat: immo suos ipsa doctores commemorat, laudat artifices, quibus se dederit; profert exemplaria, quæ suspexerit: neque id minus in eloquentia, quam in ceteris disciplinis. Et vero, quos non consuluit illustres viros? quos non arcessivit? quibus

(a) *Réflexions p.* 343. Notre prose étoit encore barbare & grossiere.

bus pepercit sumtibus? Nec vivis contenta, confugit ad mortuos: commovit, ut ita loquar, superos & inferos, totum cœtum eruditæ antiquitatis tum latinæ, tum græcæ convocavit.

Age jam, hoc qui facit, putatne optimorum operum magistram esse facultatem, an artem? ingenium, an doctrinam? Si rursus mihi exempla oggeris: primum, partem artis, inquio: ac de naturæ dono quum agitur, quid opus est exemplis? Sine his nequit natura esse liberalis? Deinde si exempla sufficiunt, cur tot doctores acciti, consulti, constituti? Itali sane confitentur, se multum adjutos esse a Græcis, qui Constantinopoli capta profugerunt: nec diffitentur Galli aliquid se auxilii ab Italis, atque adeo a Germanis accepisse: omnes prius discipuli, post magistri.

Immo illud animadversum est, tum institutionem, tum reparationem bonarum artium semper ab eruditione peregrina & veteri cœptam esse. Ac recte id quidem, ne dicam necessarie. Prius est enim scire, quam agere: ac, si cupis ad locum aliquem incognitum venire, quid melius facias, quam viæ peritissimos sciteris, iisque te credas ducibus, qui eo felicissime pervenerunt? Quo fretus præsidio poteris jam, si vires suppetunt, ipsos ductores præterire. Et quid aliud factum est, ut artes principio tenues & obscu-

scuræ ad magnitudinem suam claritatemque pertingerent?

Nunc vero, quum artes jam fere omnes perfectæ sint, hac via, una hominum ætate, quælibet gens maxime agrestis & barbara posset gentem maxime politam exæquare: utique ex media rusticitate & inscientia posset intra annos non amplius quadraginta exsistere architectura, pictura, musica, mathematica, philosophia, poesis, eloquentia, omnis denique humanitas, omne genus perfectionis. Quid enim non, si congruens a pueritia institutio adhibeatur ac cultus? Quæ enim alia causa est, cur una natio sit humana præ alia? nonne eosdem populos vidimus ex feritate ad humanitatem, ex humanitate ad feritatem revolutos? Sit quidem hic plus ingenii, spectata majori parte, plus animi, plus imaginationis, quam illic: ubique est tamen aliquid; nisi forte eos excipimus, quibus præ nimia solis vicinitate vaporavit cerebrum, aut præ longinquitate sanguis obriguit. Nec Bœoto aeri Epaminondæ sui, aut Pindari defuere: nec alia regio ab alia vincitur virtute, sed numero: institutio facit, ut diversa penitus videatur esse natura.

Illud verius, ad operum perfectionem requiri non formam solum, sed etiam egregium & fortunatum ducem; præsertim si gens aliqua e barbarie extrahenda sit, vel ex errore revocanda. Ignava enim & vecors hu-

manitas se vix circumspicit, & pecudis ritu, quam semel adivit, bonam, malam insistit viam; aut temere deflectit alio, inconstantiam sequens, non rationem. Auctor igitur opus est, qui non modo ostendat id, quod est melius, sed sua nos claritate percutiat. Tum vero ii, qui suis nondum sunt consuetudinibus mancipati, se homines esse meminerunt, & certantibus studiis ea efficiunt, quibus ipsa humanitas honestetur. Pulchra est eloquentia, pulchra est poesis, pulchra philosophia, pulchræ ceteræ artes liberales: sed omnes habent suos duces, quorum ope ad hanc perfectionem & gloriam sunt progressæ.

Ex duce, ut in milites, sic in artifices venit ardor animorum, & nobilis fidentia, & acris æmulatio; immo vero ipsa forma si non effecta de novo, at detecta, monstrata, illuminata, quam sequentes multi; & artem & ætatem suam decorarunt. Nec seculum decimum sextum vidisset tot artis opera, nisi ii, quos dixi, duces suo acumine suaque prudentia abditas jampridem formas ex antiquitatis tenebris eruissent, easque suo labore in tantam lucem & amplitudinem produxissent. Nam ea secula, quibus aut dux, aut forma defuit, non tulerunt nisi greges artificum aut in obscura mediocritate jacentium, aut erroribus & lapsibus spectandorum. Quod de cultoribus eloquentiæ nescio an multo etiam sit deplorandum magis. Videmus enim,

qui

qui maxime vigerent ingenio, eos ad maximas insulsitates & ineptias descivisse. Quod si mala forma concepta animo tantum valuit, ut naturæ bona corrumperet, non valebit bona, ut perficiat? Ac si forma ipsa, ut ut perfecta, vix sufficit sine præclaro duce, quis magnopere solius naturæ felicitati confidet?

Hæc atque alia multa jam prius arbitror clarissimo Philosopho & Academico fuisse cognita: quî enim res tam vulgares & obviæ latere possent tantæ perspicacitati tantæque scientiæ? Nisi forte ipsum induxit suæ naturæ felicitas; quique dux artibus possit esse, credidit ab aliis sine arte fieri, quod ipse faceret. Rhetorica certe non eum vult adversarium, sed fautorem: ac, si nunc suam causam dixit, ut potuit, maluit illum sibi conciliare, quam redarguere. Et quantum sibi ipsa plauderet tanti viri ornata suffragio!

Sed obstant aliqua, quæ, priusquam in artis complexum venias, debeant amoveri: ac primum est illud, suam cuique sequendam esse naturam. Quo quid convenientius? Natura scilicet exploranda, non modo factane sit ad eloquentiam, sed etiam ad quod genus eloquentiæ facta sit: neque enim Bruti severitas fuisset Cæsari accommodata, nec Cæsaris hilaritas Bruto; uti nec Ciceronis copia Tacito, nec Taciti succosa parcitas Ciceroni. Sua singulis ingeniis, ut agris, est

vis & habitudo. Felix, qui hanc mature novit! Quid non efficiant studia, quæ sint commensa & coæquata naturæ? Sin secus, ecce tibi illud informe chaos secum pugnantium elementorum. Ita sane: at quid hoc ad artem? An quia agri natura sequenda est, ideo cultura deserenda? Oblitusne es artem esse natura partam, & æque multiplicem, atque ipsam naturam? Immo ad hoc, ait Tullius (*a*), omnis ars effecta est, ut omnis extet naturæ perfectio.

Quamquam & istuc recte accipiendum est, quod dicitur, sequi naturam. Etenim natura nonne sæpe vitiosa est, & corrigenda? obscura, & pertentanda? flexibilis, & inflectenda? Id quod in moribus patet, in quibus pariter dixit Cicero (*b*) sequendam esse naturam; sic tamen, ut suam quisque singularem sequens, a communi non discederet. Dixi ergo vitiosam: nempe nimis fuit audax & fervida in Theopompo; nimis frigida & pœne frigens in Ephoro (*c*): & quid fuisset de illis, nisi alterum cohibuisset Isocrates, alterum excitasset? Id, quod in Sulpicio & Cotta notavit Cicero, illum plus justo acrem fuisse, hunc sine vi. Ac naturæ vitium tale est, ut nunc sit illi obsistendum, nunc

(a) *L.* 1. *de Offic. c.* 31.
(b) *Ibidem c.* 30.
(c) *L.* 3. *de Orat. c.* 10. *& in Bruto c.* 56.

nunc in proximam virtutem declinandum, corrigendum certe: quod fieri nequit, nisi aliqua vis afferatur naturæ.

Dixi præterea obscuram. Etsi enim quædam naturæ insignes se statim produnt; aliæ tamen ita sunt tectæ & involutæ, ut nec ipsæ sentiant, quam in partem suo pondere devehantur; antequam hic, illic periculum sui faciant. Quis nescit Racinum cœpisse soccos induere, quum tamen maxime ad cothurnos Euripidis natus esset? Quippe sæpius tentanda tellus, ut scias, quo potissimum frugum genere delectetur.

Quid eæ naturæ, quarum est virtus multiplex? Altus & vehemens Horatius in lyricis: tamen dubites, utrum his ægrius sis cariturus, an sermonibus pedestribus salis & veritatis plenis. Camœnæ rusticæ annuerant Virgilio molle & facetum (*a*): at si rure nunquam exisset, quænam facetiæ jacturam Æneidis compensarent? Aliqui, blandiendi studio, naturam in arctum cogunt, eique dum metuunt vim afferre, incrementum & decus invident.

Quid, quod multa & diversa requiruntur virtutum genera, ut uno præstes? Finge Demosthenem semper jaculantem fulmina: finge Tullium semper ritu fluminis decurrentem:

(a) *L. 1. Horat. Sat. 10.*

tem: jam non sunt amplius oratores perfecti. Non orationis, non rerum potest varietati consulere, qui aliud atque aliud non sequitur scribendi genus. Hoc poscit vera eloquentia; nec ita est contumax natura, ut hoc recuset. Nonne vides, ut Tullius, ad instar Protei, omnem, quam velit, personam induat; & quamvis sit pronus in effusam quandam magnificentiam, identidem tamen sit subtilior Lysia, & Thucydide pœne pressior? Aliquid simile videre est in Demosthene (*a*), quem tamen constat naturæ fuisse durioris. Etsi quæ tanta est duritas, quam studio non vincas, quum ipse te possis e vitio ad virtutem convertere?

Nemini certe non utile suam, dum adhuc tenera est, sæpe & multum versare naturam, sive ut fiat flexibilis, quod & in membris corporis laudi vertitur; sive ut crebrius tentata, funditus pernoscatur: alterum poscit eloquentiæ, ut dixi, varietas; alterum prudentia, ut in quo maxime valeas, in eo potissimum te exerceas; nec imiteris ambitionem, seu potius stultitiam eorum, qui id sequuntur maxime, quod minime possunt assequi, dumque affectant laudem alienam, suam deserunt; ut illi Romæ falsi Attici (*b*); & in Gallia multi Bourdalovii & Flechierii secta-

(a) *Cic. l. Orator c.* 31.
(b) *Cic. in Bruto c.* 82. *& alibi.*

ctatores (a), eo delati non judicio & natura, sed æstu populari. Quid de colonis diceres, qui nostrates fruges evellerent, ut Mexicanas, quas agellus non fert, capti peregrinitate consererent? Quanto melius illi, qui perspecta loci natura, sic domesticis dant fructibus operam, & delectantur externis, ut his habeant ornatum prædium suum, illis auctum & locupletatum.

At ars habet semper aliquid timidi, coacti, impediti, quod naturam non sinit, ut Propertii verbis utar, in propriis bonis nitere. Sic, inquam, est: quidquid naturam perficit, idem constringit ac premit. Qui primum discit pingere, aut saltare, aut tractare arma, fit multo timidior & impeditior, quam esset antea: ejus omnis motus est quodam modo violentus. Ergo hæ artes nocent? Mane paullisper, donec alumnus sat fuerit exercitatus. Jam videris, quanta ex ea violentia exsistat facilitas & fiducia & in omni actu præstantia. Jampridem exsibilata est illa digna barbarie dubitatio, ad victoriam plusne conferret libera ferocitas, an bellica disciplina. Stare loco, servare ordines, ducis imperium exspectare, ad ejus nutum ire, redire, nunquam evagari, hoc enimvero durissimum videbatur, & contrarium maxime illi

(a) *De la Bruyére t. 2, c. 15.*

illi furori, qui obses & auctor solet esse victoriæ. At quantum abessent a vero, suo ipsi barbari periculo didicere. Non enim plures, non valentiores, non ferociores rerum potiti sunt: ac, si quando felix fuit abnormis impetus, perdiu tamen mansit imperium apud Romanos, quorum disciplina erat severissima; nec prius illud cecidit, quam hæc corrupta est.

Nec vero disciplina minuit fiduciam militum, sed auxit, non debilitavit virtutem, sed confirmavit: sciebant enim se regi consilio & ratione: nec difficulter fit, quod mature fieri cœptum est: quodque prima ætate didiceris, fit quasi pars ipsius luminis naturæ; ut vir acutus animadvertit (*a*): idque videtur sumsisse ex Tullio, cujus est illa verissima, mire in rem nostram cadens, sententia (*b*): *Mens & sensibus utitur, & artes efficit, quasi alteros sensus*. Audis? postquam assueveris, *alteros sensus*. Quum igitur impediri nos sensibus nostris, aut naturæ lumine sentiemus, tum artes impedimento esse ingeniis confitebimur.

Et vero putasne Ciceronem, quum ad scribendum descenderet, magnopere de figuris aut de locis rhetoricis laborasse, quum omnes magistrorum technas, omnia artis mysteria di-

(a) *Jam laudatus Du Bos*.
(b) *In Lucullo c.* 10.

didicisset? Immo hæc, credo, facilitas permultos fallit, qui arte utentes, naturali facultate se uti existimant. Illa autem difficultas, quæ sita est in artis operibus perficiendis, spectat alio, nec arte tollitur, sed augetur: quo enim perfectiorem rei formam habes animo propositam, eo major in ea exprimenda est tibi suscipiendus labor.

At hoc ipsum est, inquies, quod vitiat eloquentiam. Dum enim tanta perfectio quæritur, ars apparet: jam non est amplius illud nativum ac simplex, quod vult natura, quoque uno afficitur: delectari quidem istis rebus potest, moveri non potest: quippe resistit animus, ubi quid artificii suboluerit: loci oratorum eloquentissimi, iidem sunt simplicissimi, & rhetorici cultus expertes. Equidem noster Philosophus, & cum eo magni viri non pauci toti sunt in simplicitate laudanda. Nec ea quidquam est melius: videndum solummodo, ne perperam simplicitatis nomen interpretemur. Ipsum sumo judicem populum. De populo illo suo, quem sibi vellet adjungere, quid sentit Cicero: nempe *quotidianis & vernaculis rebus* ei non posse satisfieri (*a*): scrutandum sibi esse aliquid novum & inusitatum. Et quid aliud significavit Demosthenes de populo Atheniensi, quum

(a) *L.* 3. *de Orat. c.* 24.

quum eum allocuturus, in subterraneas se latebras ablegavit? Ecquis ausit, modo sit sobrius, quidquid mens aut sensus offerat, temere effutire? Pulchra vero simplicitas, incuriæ soboles, parens satietatis atque fastidii!

Longe alia est illa, a doctis celebrata, nobilis & jucunda simplicitas, quæ ut paretur, totis eget artis & ingenii viribus: hæc illa est, quæ e medio veluti foro, ex moribus & animis hominum, res eruit mirificas, veteres simul & novas, externas & domesticas, vernaculas & peregrinas, quæ dum leguntur, aut audiuntur, perplacent, & ita videntur obviæ, ut mireris tibi antea non occurrisse. Sed noster ridet Horatius, aitque (*a*) te multum laboraturum frustra, nisi præstes ingenio: quantum vero cumque ingenium sit, in iis perficiendis sæpe scabendum caput, & vivos ungues corrodendos. Qui aliter judicat, aut indolis est plane divinæ, aut non satis, quanta res agatur, dispexit.

Hanc si eximiam simplicitatem vis, egrediendum est tibi ex trita vulgarique natura, atque in naturam, prope dixerim, aliam est ingrediendum; eo fere modo, quo ex planitie in occulta montium penetramus, argentum & aurum reperturi. Natura quidem nunquam

(a) *In Poet. & l. 1. Sat. 10.*

quam deserenda, siquidem animi sunt movendi. Delectatio vel ex aperto artificio potest exsistere; ut ex multis operibus patet arte & manu factis: etsi illud est gratius, quod magis est naturale; quanto scilicet potius est homini, natura, quam studio doctrinaque præcellere. At quum ad persuasionem ventum est, quid est aliud artificio palam uti, quam retia turdis indicare? Criminari autem rhetoricam, quod minus moveant multi oratorum & poetarum loci, idem est, ac culpare aucupium, quod aves fugiant. Cur enim non movent illi? cur hæ fugiunt? Quiane nimis multum est artis, an quia parum? Puerilis & pinguis vafritia, quæ satis nescit se ipsam occultare.

Quamquam nec eadem est ubique dissimulatio necessaria. Licuit Gorgiæ, licuit Isocrati agere apertius in re minime suspiciosa: licuit etiam Ciceroni cum populo magis ad agendum strenuo, quam ad cernendum acuto. Quod contra Demostheni accidit cum Atheniensibus acutissimis omnium. Licet denique omnibus, inquit idem Cicero (*a*), quum populus jam obsessus & captivus tenetur, orationis mirator, non judex. Qui tamen Cicero & est tectus, quum vult; & interdum adhibet illam, quam laudat, diligentem negligentiam, quasi

(a) *Orator c. 62.*

quasi testem naturæ nihil laborantis. Uno verbo, caput artis est, ut videatur esse natura. *At hoc quantæ artis est!* inquit acer & sagax Bruyerius (a): *quam diuturna, quam accurata, quam operosa institutione opus est, ut eadem libertate & gratia saltes, qua ambulas; canas, qua loqueris; loquaris, qua cogitas! quam arduum in elaboratam concionem tantum animi, virtutis, persuasionis, & commotionis infundere, quantum sine apparatu inest identidem in sermone quotidiano!* Multi planè, quum e natura exierint, hærent in artis ambagibus, nec viam inveniunt redeundi.

Jam restat illud, quod merito noster Philosophus vocat paradoxon, sed tamen verum (b), nempe *elocutionis regulas non esse necessarias nisi iis locis, in quibus proprie non est eloquentia, & ope artis eget natura*. Atque iccirco ait locos auctorum eloquentissimos facillime transferri de una lingua in alte-

(a) *De la Bruyére t. 2. c. 12. Des jugemens*: Combien d'art pour rentrer dans la nature! combien de temps, de régles, d'attention & de travail pour danser avec la même liberté & la même grace que l'on sçait marcher, pour chanter comme on parle, parler & s'exprimer comme l'on pense &c.

(b) *Réflexions p. 333.* Ainsi (ce qui semblera paradoxe, sans être moins vrai) les régles de l'élocution ne sont necessaires que pour les morceaux qui ne sont proprement éloquentes, & où la nature a besoin de l'art.

alteram: ridetque illam, quam nescio qui appellant eloquentiam verborum. In quo Vir clarissimus bene consentit sibi suoque sensui, conceptas imagines sine studio emittenti.

Ac primo, ipsa verborum eloquentia etiam Ciceroni stulta & ridicula visa est, nisi verbis subsunt bonæ res & sententiæ. At si subsunt, non video, cur omnis negetur verbis eloquentia. Colores nihilne augent vim picturæ? Aspice Titiani & Rubensi tabulas. Atqui verba sunt color orationis, unde exstat imago animi magis vel minus vivida. Mitto formas seu figuras sententiarum, quas plerique rhetorum elocutioni tribuunt, quæque directe petunt animos audientium: consisto in verbis: age, nonne sunt alia aliis illustriora, suaviora, graviora? nonne composita aut translata plus interdum valent, quam propria & simplicia? nonne adjectio, detractio, superlatio sæpe pondus rerum exaggerant? Quæ adeo valent in eloquentia, ut crebras bonasque sententias sine his Cicero putet infantiam (a).

Quid ipse sonus, cui tanta est cum mente animoque cognatio, quantam notarunt Plato & Longinus, ac probat musica? Idemne sonant hæc atque illa verba? hoc atque illo modo collocata? Ac si non idem sonant, eo-

(a) *L. 3. de Orat. & l. Orator c. 71.*

eodemne modo aurium & animorum sensum afficient? Non hoc certe de musica scribens, sensit Philosophus: immo in ipsis animadversionibus dixit (*a*), *numeros oratorios & musicos magis esse analogos, quam putetur*.

Propius vero in rem nostram, de poetis loquens, ait eorum, dum metro serviunt, persæpe cadere sententias; stare vero aliquando melius: quare? quia (*b*) *coactus poeta dictionem quærere metro consentaneam, sæpe graviorem reperit & magis aptam, quam metro solutus reperisset*. Recte, inquam: ergo aptior eloquentiæ dictio (de illa enim ibi res est) non ultro semper manat e sensu: ergo studio & scrutatione indiget. Quod quum dat, nescio quo modo aut verba excludat ab eloquentia, aut a verbis artem. Docet enim experientia, quæ studio comparantur, doctrina & institutione juvari.

Ecce jam ille Carbonis locus (*c*): *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*: quo probat Cicero, quantum numerus valeat in eloquentia. Quid hic Philosophus? neget, quod tanti oratoris auctoritas, & sensus popu-

(b) *Réflexions p.* 334. L'harmonie oratoire plus analogue qu'on ne pense à l'harmonie musicale &c.

(a) *Réflexions p.* 338. L'obligation où se trouve le poëte de chercher l'expression, lui fait souvent rencontrer la plus énergique & la plus propre qu'il n'eut peut-être trouvée s'il eût écrit en prose &c.

(b) *Cic. l. Orator c.* 63.

puli, & res ipsa convincit? Minime vero: at *hic non de ipsa dictione agitur*, *inquit* (*a*), *sed de mechanica dispositione verborum*: hanc unam arti condonat. Ut libet, inquam: confert tamen ars ad eloquentiam, quoniam confert dispositio.

At vereor, quum hæc concessa sit, ut possint reliqua negari: idem enim accidet, si unum verbum mutaris, ac si unum verbum trajeceris. Tolle *comprobavit*, pone *probavit*: eademne gravitas? ergo & verborum electio arti condonabitur. Modus vero seu periodorum, ut vocant, seu membrorum negari qui potest, sine quo, teste Cicerone, illa superiora nil prosunt? Totus igitur, qui illis constat, dandus est numerus: & vero dixit idem Cicero, nec Demosthenis fulmina, nisi numeris contorta, vibrare. Sin vero, quod de poetis dixit Philosophus, transferam ad oratores (& cur non transferam? poeta poterit, non poterit orator studio & contentione dictiones meliores reperire?) tota paullatim elocutio sub artis jura redigetur.

Atque huc pulchre facit id ipsum, quod pro se clarus Auctor attulerat de facilitate locorum eloquentium de alia lingua in aliam translatorum. Nec enim magno Philosopho op-

(a) *Réflexions p.* 342. Il s'agit ici, non d'expression en elle-même, mais de la disposition méchanique des mots &c.

opponam alterum philosophum non contemnendum, Du Bos scilicet, qui diserte ait (a): *Imagines & loci eloquentes semper deperdunt aliquid, quum ex una lingua transferuntur in alteram, velut ex solo patrio in peregrinum.* Sed ipse sibi, velim, noster Auctor respondeat, dum hinc facilitatem spondet, hinc vero loquens de Ciceronis eloquentia, cujus formam ponit in perpetua felici conjunctione facilitatis ac numeri: *Hæc*, inquit (b), *conjunctio, tam ad imitandum difficilis, hæc est, quæ tantum oratorem facit tam difficilem ad transferendum.* Quid Tacitus, historicorum acerrimus, atque, ut multi censent, eloquentissimus? An idem noster Auctor, si putasset tam facile negotium, ejus locos pulcherrimos rursus sibi vertendos tanta cum laude suscepisset?

Utique dicitur eloquentia esse nativa, simplex, gaudens verbis propriis: sed quum venitur ad rem, en passim conformationes verborum & sententiarum, quæ te impediant: unus interdum locus omnes ingenii vires exhau-

(a) *Tom.* 2. *Sect.* 35. Les images & les traits d'éloquence perdent toujours, quand on les transplante de la langue dans laquelle ils sont nés.

(b) *Réflexions p.* 351. Le caractere de l'éloquence de Ciceron est... la réunion toujours heureuse de la facilité & l'harmonie. C'est aussi cette réunion, si difficile à imiter, qui rend ce grand orateur si difficile à traduire &c.

haurit, nec raro sine successu. Quid multa? Auctores eloquentissimi Græci & Latini non italice, non gallice, non germanice sunt conversi? interpretationes non sunt in manibus? Age, confer, perpende: idemne in hac & illa lingua est Demosthenes, idem Homerus, idem Anacreon, idem Theocritus, idem Sallustius, Livius, Virgilius, Horatius? Nec vero interpretibus labor, multis nec ingenium, nec peritia defuit. Et tamen intelligentium judicio absunt quam longe a suis exemplaribus: vix ullus est illis par. Et recte hoc summis accidit, ut in lingua aliena plus multo de dignitate amitterent; idque in locis omnium eloquentissimis, qui sæpe apud interpretem adeo degenerant, ut vilescant.

Dicamus igitur, & dicemus verius, neminem esse posse bonum eloquentis auctoris interpretem, nisi qui ipse sit eloquens: neminem autem esse plene & perfecte eloquentem, nisi qui bono ingenio bonæque naturæ artem adjunxerit, qualis ab Isocrate, Aristotele, Tullio tradita est. Ecquis ergo hanc artem contemnat, nisi & tantos simul contemnat auctores? immo vero & philosophiam contemnat & rationem & humanitatem? Hæc enim est, quæ rudes homines expolivit, infantes auxit eloquio, facundos omnibus illecebris & copiis exornavit. Hæc, quæ fœtus ingenii condidit aluitque pulcherrimos, nobiles naturæ impetus rationis consilio gu-

 ber-

bernavit, mentem docuit suis uti opibus, frui alienis, sollertia vincere jejunitatem rerum, asperitatem omni suavitate mitigare. Hæc, quæ perfecit nobis Platones, Demosthenes, Tullios, ceterosque divina pæne facundia omnibus seculis admirandos; hominibus autem non maximis tantum addidit roboris ac dignitatis, ut nec a summis despici, & a populo magna cum voluptate & approbatione possent audiri. O ars præclara atque perutilis, quis te non colat, qui noverit? quis cultum, elegantiam, humanitatem diligat, quin sit studiosus tui? Apud omnes politas gentes sic tuus stet honos, ut eloquentiæ; ac philosophia jam tibi desinat invidere eam laudem, cujus ipsa sit particeps; memineritque bonæ parentis esse filiolæ suæ forma & existimatione gaudere.

III.

III.

Quid Sapientes in Rhetorica reprehenderint, quid desideraverint.

Si talis est rhetorica, qualis modo descripta est, sagax, certa, perfecta dicendi magistra; cur eam tam valde, inquis, philosophia sanior exagitavit? At si talis non est, cur, inquam, eadem philosophia tantum operæ & laboris in ea complenda & explicanda collocavit? Quum tu approbationibus satisfecerîs, ego objurgationibus respondebo. Tametsi non hic utar meo jure: nec ullum afferam invidiæ sensum, quo forsan tacta philosophia fuerit (nescio enim an esset omnino Stoica), quum alio dilabi suos alumnos vidit, & partem gloriæ, quam teneret, in rhetoricam primo discipulam, mox æmulam derivari. Sed absit omnis summorum virorum nomini adversa suspicio. Dicamus potius non ita unam eandemque semper fuisse rhetoricam, ut non & probari recte potuerit, & reprehendi.

Nec vero hic opus est Coracem memorare, pejoresque ex malis, ut ajunt, ovis exclusos pullos, qui dum blando vellent cantu clarescere, stridore suo risus omnium provo-

carent. Quibus consonant Latini rhetores, sive quos Crassus orator expulit edicto Censorio (a); sive quos Auctor dialogi de Causis corruptæ eloquentiæ multo sale perfricuit, artifices impudentis & stultæ loquacitatis. Maximum cujusque artis opprobrium tales sunt discipuli & magistri. Sed illos, & illorum similes sinamus, quæso, hinc procul in suis caveis crocitare. Nobis multo satius fuerit respicere ipsum Gorgiam, quem veteres philosophi habuere sibi propositum, doctum, facundum, ingeniosum virum, quo maxime crevit nostra hæc dicendi scientia, & forte fuisset perfecta, nisi eximiam pulchritudinem græcula quædam levitas corrupisset.

Rhetoricæ (quid enim dissimulem?) cultore Gorgia, idem, quod Helenæ illi famosæ contigit. Ut primum se divitem & speciosam sensit, amatoresque conspicuos nacta est, optimates, magistratus, duces; altius subrexit talos, cœpitque placere sibi, se audire, nemini parere velle, res serias negligere, suo quasi mundo muliebri occupari, superba, vana, luxurians, desidiosa. En multiplex rhetoricæ crimen, invidiosum sapientiæ, ipsi eloquentiæ pœne fatale. Quid igitur faceret gravior philosophia? Istamne sine-

(a) *Cic. l. 3. de Orat. c. 24.*

neret, ut ita loquar, puellam levem atque degenerem impune cum suis illecebris exsultare? Immo vero in ipsam invecti sunt non acerbi solum adversarii, qui odissent, sed etiam moderatissimi Socrates & Platones, qui eam unice diligerent, nec salibus & irrisionibus pepercerunt. Id quod fecit & Tullius, rhetoricam mordens, sive quæ necdum esset perfecta, sive quæ a sua perfectione descivisset.

Nec nos, tantis ducibus, verebimur partes omnes debiles aut labefactas hujus, quam tuemur, artis aperire; non quidem Academico more, eadem de re disputantes in utramque partem, sed libere & ingenue, ut probavimus, quæ laudabilia visa sunt, sic nunc contraria refellentes. Ex quo exsistet illud causæ, quod promisimus, complementum, immo & hic erit fructus potissimus, ut, quum viderimus, quid sapientes improbaverint, quid requisiverint, intelligamus, quibus rebus ars peccare possit, quibus carere non possit, ut sua constet eloquentiæ plena & absoluta perfectio. Ac si quis vellet aliquam facere totius materiæ divisionem, artis crimina facile posset ad hæc duo capita redigere; primum, quod ipsa fuerit imperfecta simul & arrogans; alterum, quod multis se adjumentis destituerit necessariis. Atque hoc quidem potissimum est; illud autem multiplex; utrumque magni momenti:

id

id quod, statim ac indicavero censorum mentem & consilium, explicabo.

Primus rhetoricæ insectator ecce tibi apud Platonem Socrates: quantus vir! Apollinis, ut ajunt, oraculo, Græcorum sapientissimus. Ipsum si audis, ars hæc est prorsus inutilis, puerilis, atque adeo prava, quippe conflata fallaciis ad homines decipiendos. At si nuda tanti auctoris verba recipimus, quo abibit etiam philosophia? Is enim non tam assertor sententiæ suæ, quam eversor alienæ, suis æque facetiis jactavit præcepta rhetorum, ac placita philosophorum; immo & omnem scientiam; quasi vero unam ipse coleret & amplexaretur inscitiam. Quo quidem nihil videtur indignius & rerum & hominis dignitate.

At in hujusmodi judiciis videndum scilicet, quid contra rem dictum sit, quid contra ejus vitia, aut eorum, qui utuntur. Socratis via & ratio fuit peropportuna temporum suorum seu excutiendæ inertiæ, seu confidentiæ coercendæ. Quid enim erat illud tum rhetoricare, tum philosophari, nisi certis magistrorum dogmatis se se addicere? Erant igitur agitandæ res, quæ pro veris haberentur, mentesque a suscepta opinione ad judicium rationemque revocandæ. Quæ prudens agitatio utinam non paullo post in temerariam Pyrrhoneorum hæsitantiam declinas-

nasset! Erraret vero magnopere, qui eandem agitationem pro damnatione sumeret: nisi si philosophiam quoque a suo parente optimo putat esse damnatam. Utique malam, inquies. Et ego malam dico rhetoricam: addo, arrogantem, cui libenter eo plura detraxeris, quo sibi plura tribuerit.

Jocari autem arbitror Socratem, quum dicit (a), *Omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes*. Ac recte Cicero dat quidem neminem esse posse eloquentem in eo quod nesciat; sed negat ad eloquendum satis esse scientiam. Quid enim crebrius, quam homines videre, qui nesciant artem proloqui, quam tenent funditus exercentque? & ex ipsis philosophis quam multi sunt, ac Stoici in primis, subtilissime rimantes singula, tenuissime disputantes? Aliud quippe est sic dicere, ut homines intelligant, aliud, ut delectentur & admirentur.

Frivolam vero & puerilem rhetoricam qui dicit, eos aspiciat, qui tanto studio tradiderunt, Isocratem, Aristotelem, Tullium. Horum, credo, amplitudo convicium istuc excutiet. Et sitne res nihili, quæ cœtus hominum sciat non delectatione solum, sed etiam admiratione perfundere? Hoc qui sentit, non medullam inspexit Suadæ, sed aliquam frondem aut corticem.

At

(a) *V. Cic. l. 1. de Orat. c. 14.*

At hæc Suada fallax, versuta est, infesta veritati. Quam accusationem acriter intendit Lockius in suo specimine philosophico l. 3. c. 10., arte illa conquerens perverti judicium, cupiditates suscitari. Quid nos? negabimus? at res convincit. Quid ille? eam exterminabit? ergo etiam philosophiam & picturam & musicam, & artes prope omnes, erroris pariter & sceleris administras; immo & universum sexum muliebrem, cujus cum illecebris artem nostram comparat. In quo oblata est simul cum accusatione defensio: ostenditur enim, magna detrimenta rebus etiam utilissimis adjacere. Eloquentia fallit, inducit, impellit in fraudem: at, ea si desit, quinam splendescet veritas qualis & quanta est? qui permeabit in mentes ab ipsa alienas? qui alliciet agrestes animos, avellet a cupiditatibus, ad officium evocabit? Magnum illa societatis & vitæ non solum solatium, sed etiam adjumentum: sin autem nocet, non rei est vitium, sed utentis.

Socrates tamen prostravit rhetoricam in Platonis Gorgia. At quam rhetoricam? Gorgianam scilicet, quam nos nec sequimur, nec tuemur. Quamquam & Socrati intercedit Tullius (*a*), nec eum sinit de Gorgia triumphum ducere. Tota enim illa pugna est

(a) *L.* 3. *de Orat. c.* 32.

est commentitia: atque ut verus Hector falsum Achillem, sic ibi verus Socrates falsum Gorgiam devicit, vincendus forsitan, si verum adiisset. Audisses eum rhetorem, qua copia, quo acumine causam suam propugnaret! sed maneat Socrati victoria: an omnis iccirco rhetorica abjecta est. Nonne & Isocrates rhetoricam Gorgianam perculit, ut meliorem excitaret? nonne, qui ejus esset irrisor, paullo post factus est commendator & doctor?

Quod si, ut aliqui suspicantur, Socrati magistro suo ea sensa affinxit discipulus non impar Plato, næ hic lepido munere Leontinum rhetorem remuneratus est. Unde enim Plato sumsit copiosum & magnificum, & plus etiam quam satis est, figuratum dicendi genus, teste Longino, nisi ex ipsa, quam derideret, palæstra Gorgiæ? Festiva insectatio! acrius illum carpere, quem studiosius imiteris. Ex quo patet, non artem traductam esse, sed artis arrogantiam & levitatem: id quod fecisse arbitror etiam Philosophum Parisiensem, sicubi visus est de regione deflectere.

Sed quidquid dixerit sive Socrates, sive Plato, cur magis credemus illis refragantibus Gorgiæ, quam Isocrati suffragantibus? Atqui *Isocratem*, rhetoricæ perfectorem, doctorem, cultorem, ut Tullii verbis utar (*a*), *divinus au-*

(a) *De Optimo Genere Oratorum c. 6.*

auctor Plato admirabiliter in Phædro laudari fecit a Socrate. En igitur hinc ars depressa, hinc in cælum sublata, ut illud intelligas, quod sæpe jam dixi, viris sapientissimis artem ipsam probari maxime, ejus dumtaxat vitia improbari.

Tullium vero miror, siquis rhetoricæ osorem aut contemtorem existimet. Nam quid foret illo inconstantius, qui eandem rem odisset, diligeret, laudaret, vituperaret, rejiceret ut inanem & noxiam, reciperet tamquam utilem & necessariam? Quid enim ejus omnes libri significant, nisi summum ejusdem rhetoricæ studium, amorem, commendationem? Ac si quando illam respuit; id agit aut personam gerens alienam, aut morem sequens veteris Academiæ: sæpe vero non eam spectat a summis auctoribus confectam, sed a levibus sophistis vitiatam. Id quod clarissime ostendunt ejus egregii de Oratore libri. Ubi enim acrius in rhetores invehitur? eo usque, ut eos clamatores, præcones, operarios ridiculos, atque adeo perridiculos appellet. Omnesne rhetores? etiam Isocratem? etiam Aristotelem? ... Immo ipsum audi Tullium diserte profitentem (*a*), horum se vestigiis institisse, *& omnem antiquorum & Aristoteleam & Isocrateam rationem esse complexum.*

At

(a) *L. 2. ad Famil. epist. 1. ad Lentulum.*

At fecit hoc forte ad solam vetustatis memoriam. Quid ergo eandem rationem commendat adolescentulo viri clarissimi & amicissimi filio (a)? quid item commendat Tulliolo, suo amori suisque deliciis? quid hujus gratia in Partitionibus Oratoriis omnem rhetoricæ veluti succum expressit? Hæcne sunt hominis sterilem tantum cognitionem offerentis, an uberem fructum exspectantis?

Ac siquidem rhetoricæ essent solum distinguenda genera, & alterum quidem justis vituperationibus relinquendum, alterum ab injustis vindicandum, jam prope confecta res esset, expositis in utramque partem sapientum judiciis: sed quoniam suadet utilitas ea disceptare singillatim, quæ rhetoricæ crimini data sunt, id agam bona fide, eoque ad accusandum utar potissimum auctore Tullio, quo defendi: quis enim melior? In quo etiam apparebit hominis constantia, & cum Socrate & Platone, quos semper suspexit Tullius, magna consensio. Atque ut res tota pateat, est nobis paullo altius repetenda.

Hic igitur orator philosophus & sua doctus experientia, & græcis imbutus litteris ac latinis, quatuor rebus effici perfectam absolutamque eloquentiam non semel in Rhetoricis suis posuit, natura videlicet, arte, exercitatione, & rerum plurimarum maximarum-

(a) *Lib. 2. ad Famil. loc. cit.*

rumque scientia. Et quamquam primo, utpote Academicus, videtur loqui dubitanter, in hac ne, an illa re eloquentia sita sit, & nunc plus uni tribuat, nunc alteri; perspectis tamen omnibus, nihil potest esse dubii, quin ille velit non partem aliquam, sed omnium omnino partium complexionem. Quid enim aliud sermonis series, quid rationes, quid facta ipsa denuntiant? In quo erravere non pauci, qui unius rei opportunitatem intelligentes, nec attendentes necessitatem ceterarum, solam sumserunt alii naturam, alii exercitationem, alii scientiam, ac sciderunt pulcherrimum eloquentiæ quasi corpus, membra separantes. Nec prudentius fecerunt ii, qui unam ferme artem secuti, non eloquentiam, sed quandam eloquentiæ larvam complexi sunt, plusque rhetoricæ nocuerunt inconsulti fautores, quam adversarii. Hos igitur excutiamus, si placet; sic tamen, ut, dum eorum detegimus labes, errores non lateant ceterorum.

Redeat nobis in mentem Gorgias, cujus deinde similes exstitere quam plurimi, & vitiis magis, quam virtutibus similes. Atque illius rhetoricæ qui monumenta recolat, quatuor inveniet ejus fuisse vitia, iis partibus, quas fecit Tullius, respondentia: ut nempe ipsa esset tenuis; & fideret se solam eloquentiæ posse sufficere; & prava exercitatione uteretur; nec putaret se indigere aliunde adscita

ta scientia. Quorum tria priora primæ orationis parti, postremum secundæ licet attribuere.

Atque ut ordiamur a primo, Gorgiæ sane operâ ars rhetorica evasit multo apparatior & grandior, quam esset antea: sed quid necesse fuit, ut se statim perfectam putaret & diceret? omnesne habet virtutes, qui plures habet? Eam certe modestiorem facere debuerat præteritæ inopiæ recordatio. Et vero, suas inter opes & copias quot adhuc illi & quanta deerant! Deerat certus ac definitus orationis ambitus, & modus, & numerus: deerat accurata morum & motuum animi descriptio: deerat, opinor, θέσις & amplificatio gravior, ac forte etiam ordo, & partitio, & definitiones rerum, & præceptorum causæ desiderabantur. Quæ quidem penuria supplenda fuisset potius, quam ridenda, & philosophorum non despicientiam, sed subsidium meruisset, nisi cum tanto fuisset fastu & gloriatione conjuncta.

Illud vero, quod rhetoricæ perfectioni maxime defuit, sunt exempla, sine quibus ars quælibet manca, obscura, imbecilla est. Leges enim & præceptiones nudæ, quantumvis certæ & accuratæ, quid aliud exhibent, nisi adumbratam rerum imaginem? Tollantur tabulæ pictæ; tollantur ædificia eorumque designationes; multum ne de pictura intelliges, multum de architectura, etiamsi doctissime de

altera disserat Vinciensis, de altera Bonarota? Vides aliquid, sed quasi septum nebula, exile, confusum, abstractum a sensibus. Ex uno artis opere longe clarior, quam ex omnibus disputationibus elucet forma perfectionis. Quamobrem nec Horatius dubitat doctissimis præceptis philosophorum anteponere illas Hectoris, Achillis, Paridis, ceterorumque imagines ab Homero expressas (*a*),

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe,
quid utile, quid non,
Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit.

Immo hinc alia sequuntur commoda longe maxima, ut & demittantur animi ad modestiam, & erigantur ad amplitudinem, & ad omnem ubertatem fecundentur. Nimirum quisque sibi est magnus, donec se cum majoribus metiatur; sicuti rana illa Æsopica, nondum viso bove, camporum erat primum decus & incrementum. At sint nobis ante oculos oratorum summa fastigia. Quæ dignitas sententiarum! quæ rerum copia & electio & distributio, quantoque in lumine! ut primo statim orationis aditu capiunt animos, vel percellunt; & nunc contendunt pugnaciter, nunc blande se insinuant; acres sine temeritate,

(a) *Lib.* 1. *Epist.* 1.

tate, cauti sine timore, ubique varii, nec sibi inæquales, semper decori memores, nunquam opportunitatis obliti, cum suavitate graves, cum dignitate festivi, modo sine abjectione legentes terram, modo sine tumore nubila superantes! Enimvero hic obstupescat necesse est, & remittat spiritus, qui eloquentiæ apicem jam se cum suis regulis putaret attingere.

Habet tamen, quod sibi valde gratuletur: non enim hoc modo minuitur, nisi re vera ut magnus fiat. Ipsa, quæ in aliis cernitur, amplitudo, modo animum idoneum nacta sit, ut in moribus, sic in artibus quodam modo generat amplitudinem, decor decorem, suavitas suavitatem. Quales fere quisque cogitationes accipit, tales reddit. Ac si M. Piso & T. Pomponius percellebantur animo, & nescio quo modo videbantur sibi esse alii, quum haud procul Athenis ea spatia peragrabant, a Platone, Speusippo, Xenocrate, aliisque viris clarissimis frequentata (*a*); quid futurum est nobis, ipsa hominum eloquentissimorum opera contemplantibus? Mera ibi erant phantasmata, muta & inanima monumenta, quæ obscuram & tacitam summorum virorum memoriam revocarent. At nobis, dum oratorum scripta pervolvimus, ipsa adest,

(a) *V. Cic. l. 5. de Fin. c. 1. & 2.*

est, ut ita dicam, magna eorum anima: sub nostris oculis & inter manus mens illa excelsa, consilium, ardor, magnanimitas reviviscit. Et quis est, qui ex tanta amplitudine non crescat, non ardeat ex tanto incendio? Dicerem etiam, quanta hinc seges inventionis exsistat, nisi jam esset superius explicatum.

Immo hunc esse arbitror potissimum artis fructum, ut ejus ductu & observatione, tota quanta est, exemplarium dignitas pernoscatur. Quod qui sit assecutus, dimittat, per me licet, omnes rhetorum libellos: nisi si quis est Tullius aut Longinus, quorum scribendi genus possit exemplo esse. Nostri jam doctores sunto oratores, historici, poetæ, qui nos alere possint, & fecundare.

Nunc ad Gorgiam si redeo, omnia reperio partim conditione temporum, partim rhetoris ipsius vitio miseranda. Nondum ævi felicitas tulerat illa clarissima eloquentiæ lumina, quæ posteris ætatibus prælucerent. Abierat jam infantia; sed plena & matura dicendi scientia non advenerat: nullus adhuc fuerat visus heros, *qui toto vertice supra esset*. At si deerat exemplar integrum; erant tamen, ut vidimus, quam plurimæ partes dispersæ, quas felix natura, & ars inchoata, atque adeo provecta protulerat. Cur ergo nobilis rhetor eas non collegit? cur non composuit? Non erat tum Prodicus? non Thu-

Thucydides? non Pericles? non multi alii? Unus Homerus nonne talis ac tantus est, unde omnis pœne eloquentiæ specimen sumi posset?

Nec aliter, opinor, fecit Isocrates, quum artem, quam derisit Gorgiæ adversarius, paullo post æmulator perfecit. Perbrevi sane tempore artem videas ex manca integram, ex inopi copiosam, gravem, prudentem, tali instructu & comitatu, ut non modo placere sapientibus, sed ipsos posset eloquentiæ principes producere. Etsi non inficior tantum fuisse Isocratem, qui discipulos augeret suis non minus exemplis, quam præceptis, rhetor proinde, atque orator magnus. Sed numquid parvus ac spernendus Gorgias? Immo ingenio forte uberiore, & magis facto ad grandia: sed sua levitas & plausus multitudinis illum sustulit: unde alterum fluxit in artem vitium, arrogantia.

Rhetorica eo se magis contenta, quo minus videret, quid sibi deesset; eo audacior, quo magis hinc esset inflata favore populari, hinc irritata notatione sapientum, quid non sibi tribuit? Philosophiam parentem suam non deseruit solum, verum etiam despexit (*a*). Ipsa sola erat digna, quæ coleretur ab omnibus: ipsam omnes dignitates & ve-

(a) *V. Cic. l. 3. de Orat. c. 19.*

venustates & gratiæ sequebantur. Quid erat, quod ipsa non posset efficere; præsertim quum quæstuosa & cupida facta est? Finge tibi Athenas, veluti quasdam nundinas captiosis vocibus personantes: Si quem movet dicendi gloria, ad nos properet: hic copia est, hic suavitas, hic magniloquentia, Suadæ hic quinta pars.... At mecum avara fuit natura, deest ingenium... Quid ais? arti te trade: nos nostris præceptis possumus vel infantiam reddere disertissimam.

Hem! gravisne rhetori hæc sunt, an circumforanei pharmacopolæ? Cujus ostentationis etsi accusare non audeo ipsum Gorgiam, tantum virum; ea tamen est, ut in ejus schola nata videatur. Ars enim tanto clamore celebrata, quid mirum, si etiam credita est, oratorem posse invita, ut ajunt, minerva fabricare? In quo philosophis data est multo justior ridendi causa. Ad alta eos dirigas, quibus non est vis se humo tollendi? E quovis stipite, uti statuam, sic oratorem fingas, quem in curia atque in foro colloces?

Et quem oratorem? Audite, audite artis prodigia. Oratorem, inquam, de omni re, quam quis posuerit, magnifice ex tempore disserentem (*a*). Illudunt hi nobis, opinor, rhe-

(a) *Idem l. 1. de Orat. c. 22.*

rhetores, aut insaniunt, aut eloquentiam penitus ignorant: nisi si forte habent Circæum aliquod poculum, quo, ut olim ex homine pecudem, sic e pecude non hominem tantum, sed Mercurium & Minervam faciant. Nam quæ ista est ars, ut ut perfectissima, quæ tantam pariat tamque promtam & repentinam facundiam? Hæc dicendi est, an vero audendi scientia? In quo irasci merito possumus vel ipsi Gorgiæ, qui primus in hoc se discrimen commiserit, jusseritque ponere, quid quisque in ipso temporis articulo vellet audire. Hos ei spiritus dedit fortasse suorum auditorum inscitia. Sed quid, si Socrates aliquis interesset? Disertissime Cecropidarum, diceret, num id, quod scis, potes e vestigio bene, ne dicam mirabiliter, explicare? num nihil est omnino, quod nescias? Istos enim Hippias scientes omnia rudis homo suspicit, doctus despicit: id enim qui profitentur, ostendunt se nec fines nosse rerum cognoscendarum.

Fuerunt, scio, nec ita pauci, qui nullo sumto ad commentandum spatio, de re qualibet versus quam plurimos ad nutum funderent. Nec illud addam, plerumque ea, quæ primo visa essent mirabilia, postmodum nec tolerabilia comperta esse: poetas vero, quos habemus omnium excellentissimos, id nec fuisse ausos, nisi forte exiguum quid, hortante occasione, lætitiæ aut bilis causa. Hoc

ajo, magnum esse poetæ ab oratore discrimen. Quum enim utrumque studium maxime viguit, multo fuit facilius, teste Tullio, reperire bonum poetam, quam oratorem. Et quamvis ille arctioribus stringatur numeris, vagatur tamen licentius, ac sine piaculo certos ingreditur jam provisos locos: suam autem regionem, satis habet, si attingat, non metiatur. Quid, quod cantus ipse plus ferveris addit, & largitur temporis? quid, quod poetica suavitas corrumpit mentis judicium? A Musis una fere poscitur delectatio. At orator & tanto lenocinio caret, & severius tractatur, ut debitor. Nec tamen nego esse posse, atque adeo fuisse cum poetas, tum oratores, qui & manerent intra præscriptos terminos, & subito magna sive poetica, sive oratoria laude splendescerent: quod de Antipatro & de Archia confirmat Cicero: de Cicerone autem ipsæ sunt testes aliquot eloquentissimæ in Catilinam & in Antonium conciones. Quorum tamen materia nec auctori accidit plane improvisa; nec forte res fuit eodem stilo scripta, quo dicta; ac denique eam expressit opportunitas, non temeritas.

Sed ne figamus odiosos limites ingeniis celeberrimis, acutissimis, rerum innumerabilium scientia instructissimis; præsertim si acerrimo animi sensu, tamquam vento secundissimo deferantur. Sed copiosos ali oratorum greges,

ges, qui ab arte sint parati id facere per ludum, sedato animo, nonne vesania est, quæ Censorum edicta, vel potius ellebori vim totam requirat? ex hac disciplina graculi prodeant, qui non eloqui sciant, sed nesciant tacere; recitent quasdam magistri formulas; in communibus tritis se locis jactent; meram delibent rerum superficiem, digni propterea illo acroamate, quo Phormionem ornavit Annibal de bellica re deque imperatoris officiis garrientem (a). Atque hinc factum est, ut grave ac verendum Sophistarum nomen, quo prius decorabantur diserti homines, & rerum publicarum moderatores, simul ac hi rabulæ usurpare cœperunt, repente viluerit, non secus ac Luciani tempore barba & pallium philosophorum. Nec probrum hæsit in nomine, sed in artem, quæ pareret hæc mostra, sensim defluxit: quid enim despectioni propius, quam ostentatio?

At vidimus, unde orta sit hæc intempestiva facundia: videamus nunc, quibus sit præsidiis roborata. Præceps videlicet exercitatio perfecit mirabilem illam male dicendi facilitatem, quam inscitia & vanitas & jactatio ingenii inchoaverat. Prima laus ejus erat, non qui melius, sed qui citius diceret. Age sodes, de astris, de legibus, de bello, de pa-

(a) *Cic. l. 2. de Orat. c. 18.*

pace, de republica dissere. Nil habeo, quod dicam. Adeone te esse stupidum & inertem! excute ingenium, verte cogitationem in omnem partem. Dignum dictu nihil occurrit. Velis, nolis, aliquid tamen dicendum est. Hac ferme ratione stimulabantur adolescentes, ostensis aliquot inventionis locis, quos non ut Helicen aut Cynosuram, sed ut cicindelas sequerentur: summa autem cura in concinnitate erat, & in omni dictionis ornatu. En pulchra illa eloquentia hominum, non quid dicerent, sed quo modo dicerent, aut ne nihil omnino dicerent, laborantium. Jamque, ut vides, in tertio versamur vitio rhetoricæ Gorgianæ.

Non ego quidem exercitationem respuo, qua nihil ad formandum corpus & animum efficacius. Ea ipsa, quæ naturæ sunt, loqui, incedere, currere, facilius & melius faciunt, qui exercentur. De arte vero quid ambigas, quum ea sit additio quædam perfectioque naturæ? *Nec medici*, inquit Cicero (*a*), *nec imperatores*, *nec oratores*, *quamvis artis præcepta perceperint*, *quidquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt*.

Nec illis assentior, qui probant quidem exercitationem, sed seram volunt; postquam ni-

(a) *Lib.* 1. *de Offic. c.* 18.

nimirum subactum sit ingenium, & tota perfectionis forma percepta. Nam diu continere ingenium in sola contemplatione legum & exemplorum, idem est, atque illud velle ad actionem rigescere & hebetari. Atque huc etiam pertinet, quod ait Theon (*a*), *Picturæ studiosis nihil profuturum cognosse Apellis, Protogenis, & Antiphili tabulas, nisi & ipsi pingere sint aggressi*. At facultas ad opus & forma est necessaria. At necessaria quoque mentis & animi habitudo. Ac si paullatim forma & facultas acquiritur, cur habitudo non item? Non vides, non potes omnia; at tamen aliquid: ne istuc quidem initio bene; at fiet in dies melius. Contra vero, qui nihil agens, aliena dumtaxat opera speculatur, erit quidem æstimator bonus, sed actor plane novitius. Nemo enim magnos otiose contemplans, ipse fit magnus: tantus quisque est, quantum potest de suo promere. Quamquam & de æstimatione dubito: homo enim nihil expertus, videbitne omnia? omnium difficultatem & pretium ponderabit? Nimis multa sunt horum intelligentium, qui nihil agunt, perversa judicia.

Non fero, inquis, illam exercitationem futilem, quæ fervet intra scholasticos parietes. Si talis est, inquam, qualem describit Au-ctor

(a) *Soph. Progymn.* 11.

ctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ; eam quis sanus ferat? Cum iis enim ineptiis nil discet puer, nisi promtius & licentius ineptire. Sed quid opus est exercitationem talem esse? Sin autem rogas, quid puer faciat imbecillus ac levis in re, qualis hæc nostra est; plena prudentiæ & gravitatis: id aget, inquio, quod in aula catulus Horatianus (*a*) ad pellem cervinam latrans, futurus nemorum & ferarum terror. Parvus is quidem nunc, dentibus exiguis, infirmis viribus: discit tamen cavere, petere, artus animosque roborare. Ut ætas, sic virtus suam habet pueritiam, quam qui exercendo non superat, nunquam grandis evadit. Hæc naturæ lex est, ut prius repat homo, quam ambulet, prius balbutiat, quam loquatur, ac paullatim ab imo eluctetur ad summum. Sunt autem in rhetorica, & multa sunt vel teneris annis idonea, quæ & juvenilem ætatem augeant, & virilem exornent; uti multa habet armorum ars ludicra, & gladiatori & militi profutura. Quapropter non exercitatio exturbanda, sed requirendus a magistri prudentia exercitationis delectus ac modus: non enim exercitatio, sed apta exercitatio gignit, quem volumus, ingenii habitum.

Utrum & quatenus in delectu peccaverit Gor-

(a) *Lib.* 1. *Epist.* 2.

Gorgias, licet potius suspicari, quam cernere: multum sane peccavit in modo. Nam duplex quum sit exercitationis genus, alterum maturum & consideratum, quo tota vis animi expromitur; alterum inconsultum ac præceps, quo prima quasi superficies delibatur; hoc præ illo arripuit Leontinus Rhetor, hoc frequentavit ipse, hoc suis discipulis inculcavit. Nec miror: unde enim exsisteret illa præceps facundia nisi ex hac præcipiti dicendi assuetudine? Dederat is quidem disputationes aliquot (*a*), tamquam inventionis vias: at vix unquam licebat scribere, quandoquidem opus erat e vestigio declamare.

Quæ quidem properatio utilitate non caret. Videmus enim eos, qui urgentur sæpius, & coguntur illico jocis aut quæstionibus respondere, multo esse ceteris promtiores, nec raro in illo nisu efferre aliquid, quod lenta meditatio non extudisset. Quod etiamsi est celeris ingenii munus; ipsa tamen ingenii, ut corporis celeritas crebra concitatione perficitur.

Ac siquidem id Gorgias fecisset moderatius, & ingenio magis præparato; nihil haberet recta ratio, quod reprehenderet. Hac via quippe, teste Cicerone, Ser. Sulpicius &

(b) *Cic. in Bruto c.* 12.

& promtam Galli velocitatem, & diligentem Balbi tarditatem superavit. At hinc exordiri sua studia, hic consistere, in hoc se jactare, nunquam penitus in animum descendere, perabsurdum est. Quis enim hoc pacto in causam penetret, eruat abstrusa, obscura illuminet, involuta explicet, confusa distinguat, omnia perspiciat, eligat, exornet aptis verbis atque sententiis? Miscentur bona malis, fugit ordo, subit inanitas, languet vis, pro auro scoria, pro adamante vitrum accipitur. Hæc illa est festinatio, quæ Phormiones protulit, Anseres, Suffenos, Cassios, poesis opprobria & eloquentiæ: hæc fecit, ut ipsi peringeniosi Lucilii fluerent lutulenti; & longe abessent ab ea laude, quam Venusini cunctatio est consecuta. Varia est mens hominis, ut voluntas; nunc benigna est, dat statim, siquid boni habet, etiam non rogata; nunc adeo est avara, ut tormentis, pœne dicam, & vinculis sit cogenda.

Stilum vult igitur prius, quam linguam acui M. Tullius, stilum inquam sollertem & accuratum: nam quorumdam, ut ita loquar, scribarum stilus quid præstat linguæ præproperæ volubilitati? Stilus, quem consideratio præit, tenet assiduitas, regit acrimonia, quoque flos & virtus ingenii elicitur, is stilus est, inquit ille, *optimus & præstantissimus dicendi effector & magister*.

Quin

Quin & limam infert Horatius, rigidam inquam limam, desidiosis olim Romuli nepotibus formidatam: cujus nisi mora & labor obstitisset, multo plures gens illa Crassos & Antonios & Tullios edidisset. Scilicet placemus nobis, ac facile credimus nos nostraque aliis placere; nec intelligimus, quo quisque sibi sit indulgentior, eo alios futuros judices severiores.

Qui ne nos cæcus nostri amor decipiat, ecce tibi ex ejusdem Horatii tabernaculis censor, quasi Rhadamanthus, qui non solum castiget crimina, sed etiam notet labeculas, quas humana parum cavit prudentia. Si quid flaccidum, si quid demissum est, fucatum, tumidum, luxurians, censorio judicio corrigatur, aut moveatur loco.

Nec me tamen præterit, quanta sit opus in tirones, præsertim timidos moderatio, ne magis eos deterreas, quam perficias. Quis enim ab immatura ætate maturæ virtutis fructus deposcat? Colere, connivere, blandiri, carpere aliqua, alia si non re, at spe & exspectatione laudare, ostendere potius rectam viam, quam errores reprehendere, sic premere habenas, sic stimulos subjicere, ut animi semper sint rerum difficultate majores; hæ partes sunt censuræ puerilis. Nam quid sperandum amplius, quum cadit fidentia, fervor conglaciat?

Sed Gorgias transiliit lineas, solis ferme

usus

usus calcaribus. Quin & effrenæ magister audaciæ, discipulos populo imparatos exposuit. In quo nec laudati Auctori dialogi prorsus assentior, ocyus, quam velit Cicero, ad solem & pulverem evocanti. Scio nec infitior: umbratilis disciplina est exercitatio ad pellem cervinam, ex qua nemo perfectus exsistit. Prodeundum in vera certamina: campus est auditorium, fera populus, dux & auctor, quasi molossus aut Lacon, ætatis suæ princeps orator. Hæc schola multo certior & illustrior, ubi totum se ostendit populus nullius rei simulator nec dissimulator; ac tuus te sensus, rerumque aspectus & successus docet; tu ipse perspicis, quæ sit hominum voluntas, quæ mens, quid opinetur multitudo, quid amet, quid fugiat, quid spernat, quid admiretur. Ad hoc fidele naturæ speculum finxerunt se se, quotquot ad hanc diem dicendi gloria floruerunt.

Sint hæc ita quidem; non abnuo. At hoc primum, hoc unum sit eloquentiæ magisterium? Res hic video, non rerum causas & artificia & modos. Dicat ipse Cicero, adsit populus frequentissimus: ex hujus aspectu, ex illius facundia nihilo fies doctior, quam ipse populus, qui eadem audit ac videt. Enimvero summos, quos novimus, oratores campus quidem perfecit, sed umbra prius excoluit.

Quid vero, si exemplar vivum sit *vitiis imi-*

imitabile? Quod autem non est, si humanum est? Horatio visus est Homerus ipse dormitare: aures Tullii non semper explet Demosthenes: in ipso Tullio sat multa carpit jam sæpe memorati Auctor Dialogi, sive sit Tacitus, sive Quintilianus, sive alius quisquis, censor fortasse acrior, sed quem te audisse non pigeat. Quod si ea eloquentiæ summa lumina non carent maculis; jam finge tibi aut Phalerei flosculos, aut argutias Senecæ, aut calamistros Mœcenatis (*a*), aut tinnitus Gallionis, aut Granii scurrilitatem, aut multo deteriorem, quæ post increbruit, colluviem ineptiarum. Pulchre scilicet rudis adolescentia his exemplis ad eloquentiam ciebitur ac dirigetur.

Nec vero multum proderit populus, nec concors sibi, nec unius semper judicii. Quod placet ciceris nucisque emtoribus, placetne iis, *quibus est equus & pater & res*? placetne viris prudentibus & eruditis? At in populo ipsa est natura quæ loquitur. Quasi vero natura non nisi rerum veritate & præstantia caperetur. Nonne, quas dixi, orationis quisquilias temeritas populi comprobavit? Prior quidem orator suis illecebris corrumpit populum: at populus corruptus vicissim

(a) *Vide modo laudatum Dialogum de causis corruptæ eloquentiæ.*

sim oratorem corrumpit, ei se commendare cupientem. Hinc ecce tibi in eloquentiæ regnum invecta pro ratione consuetudo, pro suasione adulatio; hanc autem sequitur omnis dicendi perversitas. Et sane, oratore duce, plaudente populo, quid non labis irrepsit in facundiam Gorgianam?

Quæ quum ita sint, mirabimur totam illam disciplinam incurrisse in odium, vel in despicientiam philosophorum? Tenuem esse, & jactare suas opes; carere præsidiis necessariis, & res maximas polliceri; sibi non sufficere, & velle omnia supplere, celeritatem pro perfectione, garrulitatem pro eloquentia venditare; hæc sapiens videbit & feret? Nec ideo quidquam detractum est laudibus rhetoricæ seu Ciceronianæ, seu Isocraticæ, quam defendi. Quid enim commune est opulentiæ cum penuria, modestiæ cum arrogantia, prudentiæ cum levitate? Nulla ibi temeritas, nulla præcipitantia; contra summa ratio & sollertia & circumspectio. Numquid est aliud, sapientia quod desideret?

Est profecto, est aliquid, atque adeo omnium maximum, quod non Isocrati, non Tullio defuit, forte nec Gorgiæ, at defuit plurimis eorum sectatoribus, rerum scilicet artiumque multarum scientia: sine qua præclara rhetoricæ bona completa non sunt, aut etiam turpiter depravata. Quod quartum est

ar-

artis crimen, latissime patens, fons & causa criminum ceterorum: cui proinde secundam tribui hujus disputationis partem, quæ de adjumentis est necessariis, quibus ars fuerit defraudata.

Seu sit ambitio, seu cæcus amor, hoc habent plerique, ut sibi suisque studiis adulentur, aliena despiciant. Neque enim attendunt rerum aut justum pretium, aut mutuam conjunctionem; nec intelligunt, quo domestica pluris fiunt, eo magis esse opus externis. Res enim nobiliores majore præsidio & comitatu indigent; majore inquam bestiæ, quam arbores, homines, quam bestiæ: & maxima planetarum & astrorum corpora non nisi ceterorum vi & actione moventur: & ipsæ virtutes summæ, ut officia sua expleant, nonne ab aliis virtutibus etiam minoribus sunt adjuvandæ? Ex quo non erat difficilis de artibus conjectura, nisi imprudentia fefellisset homines, aut ignavia retardasset.

Hinc magna ubique in scholis facta sunt discidia rerum & studiorum: ex discidiis autem quanta bonarum artium tenuitas & depravatio secuta est? Quid enim fuit physica a geometriæ & algebræ consortio separata? quid grammatica disjuncta ab interpretatione oratorum & historicorum & poetarum? quid poesis, simul ac in suos fabularum, visionum, & numerorum terminos, velut in

Epicuri hortos, se se conclusit? Num quid auditum est Homero dignum aut Sophocle? Nec secus rhetoricæ accidit, ut primum secessit a ceteris artibus, suis contenta formulis & crepundiis, politula quidem, sed prope puerilis.

Hoc enimvero acerbe ferebat Tullius. In Romano foro adhuc balbutire eloquentiam! nihil admodum audiri Platone dignum ac Demosthene! Ac si quibus oratoribus sanitas & vigor & acumen & gravitas non deesset, illam tamen requirebat Atticam amplitudinem, copiam, varietatem, quæ non aliunde posset nisi ex ceteris artibus comparari. Quid porro non dixit, quid non laboravit, ut artes quotquot essent, ac philosophiam in primis rhetoricæ comitem adjungeret? Hanc unam colere, hanc diligere, hanc ferre in oculis putares. Quod præconium est, quo ejus dignitatem non ornaverit? quod genus exhortationis, quo ad ejus studium non accenderit? Res ceteras extenuat, ut hanc amplificet; deprimit, ut extollat; confert invicem, ut omnibus anteponat. Ipsum si audias (*a*), non qui rhetoricam didicerit, sed qui philosophiæ se dederit, *is sit verus*, *is perfectus*, *is solus orator*.

At si tanta est philosophiæ opportunitas ad

(a) *L.* 3. *de Orat. c.* 21.

ad eloquentiam, cur non ante hujus initiamur mysteriis, quam ad rhetoricam accedimus? Equidem vellem, modo res atque ætas sineret. Sed quid fiat cum hac discentium parvitate? Quod si philosophiæ nomine unam dialecticam intelligis; habes, ut ceteros taceam, gravem auctorem Vossium, qui eam, vel in pueritia, rhetoricæ præmissam velit: nec ego infitior, eam, quamvis aliqui detrectent, aptissimam esse acuendis tenellis mentibus, ut sequantur veritatis vias, ejusque & perstringantur lumine, & robur sentiant. Illam certe nolo deesse homini perfectæ eloquentiæ cupido, si quidem non ignari solum docendi sunt, sed etiam revincendi aut stulte creduli, aut contumaciter repugnantes. Sin autem sermo est de primo ad eloquentiam aditu, quid expediat, dubito, necessitatem certe non video. Numquid enim homines post inductam dialecticam ratione uti cœperunt? aut tantam vim ratiocinationis exigit, aut etiam recipit puerilis sive institutio, sive exercitatio, ut non sufficiat naturæ lumen, aliqua præsertim adjutum argumentationis formula, quam ipsa offert rhetorica, quum ad suasionem descenditur?

Sin vero latius accipis philosophiam, ut nominis amplitudo postulat; vide, quæso, ne id tuis alumnis accidat, quod puerulis in templo: hærere, tergiversari, ferre oculos per singula, lemnisco aliquo occupari, reci-

tare pauca de scripto, nihil de rebus altioribus intelligere. Hæc nempe studia multo sunt rhetoricis graviora: quamobrem & Sapientes illi veteres hinc fieri ad illa gradum voluerunt. Adde, quod ipsa rhetorica florem quodammodo poscit ætatis perinde fere ac saltatio, & fidium vocumque cantus. Hæ quippe artes delicatæ quosdam requirunt molles ac teneros hinc corporis, illinc ingenii motus, quibus par nunquam fuerit, qui a teneris non assueverit: exstabitque semper nescio quid informis ac rigidi, quale in Canachi signis notavit Tullius (*a*).

Paucis: tota nec rhetorica, nec philosophia puerum dare oratorem potest: tam magnum nomen ætas ista non suscipit. Istuc, quod molimur, parare quidem possumus, tenere adhuc non possumus. Flectat igitur rhetorica & formet ingenium ad eloquentiam, quam deinceps scientia rerum experientiaque perficiat. Nolo tam præcocem philosophiam; at volo sit (da verbo veniam Pacuviano) philosopha ipsa rhetorica, quæ non modo præceptorum fines causasque explicet, insistat naturæ vestigiis, errores prævertat, sed etiam ex morum scientia decerpat plura facilia captu, scitu dignissima, ac sensim doceat ipsas amœniores musas pro earum modulo philosophari.

Sed

(a) *In Bruto c.* 18.

Sed Cicero de philosophia loquens, prima hac ætatula prætermissa, ad adolescentes jam grandiores transilit, quales essent Cotta atque Sulpicius: nec mirum, si ab his deposcat magnum illud atque amplum, dignum erudito consessu, dignum majestate & nomine oratoris. Et quamquam gravis auctor nullam partem philosophiæ ab eloquentia esse alienam putat, eam præsertim, quæ prima rerum principia investigat, & perducit ad purum, metaphysicam vocant, cujusque scientiæ fundamentum: ipse tamen potissime requirit illam Socraticam atque Platonicam, quæ est de vita, de moribus, de naturis hominum, de honestis rebus aut turpibus, de expetendis aut fugiendis, de virtutibus, de vitiis, de officiis, agendi æque, ac dicendi magistram; quam proinde veteres sapientiam appellarunt.

Et vero sine hac quid est, amabo, rhetorica, aut eloquentia? Neque hic solum me movet ille M. Tullii justus timor (*a*), ne cæca & furiosa dicendi facultas viribus suis abutatur, ut sæpe accidit, ad errorem & perniciem populorum, ducta scilicet non rationis judicio, sed vulgi opinione, aut æstu cupiditatis impulsa: discrimen sane gravissimum, nec ita externum eloquentiæ, ut non hinc

(a) *L.* 1. *de Invent. Proem.*

hinc multum in eam vesaniæ invidiæque dimanet. Sed ipsam in se specto dicendi scientiam, quæ uti absque philosophia perfici non potuit, ita nec potest integra & incorrupta servari contra hominum superstitionem, audaciam, levitatem.

Superstitionem voco cæcum illum & pupillum & timidum animi sensum, quo non minus bona litteratura, quam vera religio corrupta est. Quid magis absurdum atque incredibile, quam ab hominibus non solum homines, sed astra, bestias, lapides deos fieri? Atqui si Varroni, si Plotino, Porphyrio, Jamblico, aliisque doctissimis viris credimus (a), non id voluere primi inter gentes sacrorum antistites, nec, qui prudentia præstarent ceteris, eo insaniæ devenerunt: sed symbolis usi sunt partim ad significanda naturæ mysteria, partim ad beneficentiæ virtutisque memoriam conservandam, partim etiam ad exhibendas sub ficta specie attributiones veras invisibilis divinitatis. At postea imbecillitas & ignorantia pro rebus signa, pro Deo simulacra coluit; ac religionis locum omnis stultitia & fœditas & importunitas occupavit.

An multo aliter in re nostra? Antiqui illi

(a) *V. D. August. l. 4. de Civit. Dei c. 9. & l. 6. c. 5. &c.*

li rhetores acuti ac docti notarunt formas dicendi meliores, quæ certo loco ac tempore plus haberent suavitatis, aut roboris. Ac recte id quidem: sed quid alii postea? Quasi vero eæ formæ virtute quadam propria essent præditæ, in totidem idola conversæ sunt: idola, periodi; idola, loci communes; idola, figuræ verborum & sententiarum: nec horum idolorum plura in hortis Ægyptiis, quam in rhetoricis nata sunt; ex quo cultores eloquentiæ, philosophiæ autem, ne dicam rationis expertes, rerum spectarunt externam speciem, non naturam & causam & finem. Ex rhetoris ludo ecce tibi mechanica officina, ubi non artifices, sed operarii: oratio autem ipsa opus quoddam fabrile ad magistri formam elaboratum, tropis omnibus, ut Græci vocant, & schematis, velut auro gemmisque distinctum. Egregiam vero eloquentiam, quæ & suasionis vi careat, &, quam affectat, audientium gratiam non obtineat!

Quid huic rhetoricæ facias? Hominum objicias eloquentissimorum exempla? Observabit illa non robur eorum ac spiritum, sed colorem & vestem. En definitiones conglobatæ, en apostrophe, synonymia.... Jam pudet hæc proferre artis opprobria, quorum utinam ne exstaret quidem memoria! Hunc cepit fructum rhetorica, quum suis freta regulis, ausa est philosophiam parentem optimam

mam non deserere solum, sed etiam despicari (a).

Eadem superstitio certos etiam ingeniis terminos circumscripsit. Perinde quasi dicendi forma delata esset e cælo, nec extra illam posset quidquam boni obvenire; ars jubebat omnia ad suam libellam exigi. Heus, quæ ista oratio est? statim venitur ad rem: nihil dicitur ad captandam attentionem, ad conciliandam benevolentiam: ubi est propositio? ubi divisio? ubi lumina comprehensionesque verborum? Nec dubitavit ars hæc morosa & angusta ipsos summos oratores reprehendere, quod populo placere sint ausi modis insolitis, motusque & admirationes præter ordinem excitare.

Ajunt scilicet quidem ludi magistri, his legibus, si cui aliquando Dædalo volatus altior præcidatur, multo plures tamen Icaros errore naufragioque prohiberi. At ne labantur Icari, suntne Dædali reprimendi? nonne una mirabilis elatio tanti est, ut vel multis lapsibus emi queat? Philosophia vero, si adesset, diceret: Ars hæc exilior ingeniis mediocribus dominetur: justum quippe habet imperium: quo enim tendant gregarii homines extra communes vias? At illis viris singularibus idem diceret, quod Romanis Juno (b):

His

(a) *Cic. L.* 3. *de Orat. c.* 19.
(b) *Virg. l.* 1. *Æn.*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Quis te litus jubeat remis legere, si possis ad novas terras velis plenissimis navigare? Semper licuit summis ingeniis adire ignotas vias, quo vis major impellit. Esto, sit aliquod periculum: *Dulce* tamen *periculum est*, inquit Horatius (*a*), *sequi deum*, id est excellentem naturam.

Quamquam philosophia, dum campum ingenii patentiorem aperit, temerariam simul frenat audaciam. Non enim illa tollit omnino regulas, sed ducit ad earum caput ac fontem, ad naturam inquam hominum & animorum; ubi videlicet acri mentis acie contempleris, quid conveniat ipsi, quid non, quid sit necessarium, quid arbitrarium, quid poscat veritas, quid opinio, quid ratio, quid auctoritas, quid consuetudo. Neque enim putandum est, ut aliqui voluerunt, omnia ejusdem esse generis, fluxa, mutabilia, caduca, ex voluntate hominum & institutione pendentia. Est, est profecto aliquid cum in legibus & moribus, tum etiam in artibus fixum & stabile, a quo nemo ausit discedere, nisi qui prius a natura ipsa discesserit. Atque hæ sunt formæ illæ Platonicæ, æternæ, in-

(a) L. 3. *Ode* 25.

incommutabiles, quæ si ab auctore suo nonnullis sunt figmentis implicitæ, non sunt tamen ipsæ fictitiæ, easque intuentur summa ingenia, & imitantur: quid enim extra illas potest esse veræ & solidæ pulchritudinis? En simul perfectionis regula & frenum temeritatis.

In iis vero, quæ humano sunt arbitrio constituta, quis vetet magnos viros suo uti arbitrio? Dixi magnos viros: nam ceteri supremæ illi formæ cognoscendæ impares, quarum dumtaxat partem in operibus artis vident, si rem velint ductu suo gerere, quanam ratione sibi cavebunt, ne, dum majorum regulas & exempla deserunt, summam quoque formam deserant, ipsam naturam?

At periculum multo maximum, & summis æque infimisque commune ex levitate imminet, nisi huic occurrat illa, quam dixi, sapientia. Quid est tam varium atque volubile, quam amor sensusque hominum erga bonas artes & disciplinas? Is quidem, dum integer & recens est, suo quasi nutu ac pondere ad id fertur, quod est optimum: sed quamdiu manet contentus eo, quod primum tenuit? Nisi si forte de Sinensibus loquimur, qui qua superstitione deos, eadem suam litteraturam colunt, nunquam mutabilem, nisi sublata servitute ingeniorum. At ubi est libertas, ibi est perpetua vicissitudo: quodque magis mirere, quum ventum est ad sum-

summum, tum instat propius inclinatio. Sive in media artium felicitate major sit ingeniorum licentia, sive acrior singulariter enitendi cupiditas, sive nescio quod fastidium delicatius antiquitatis; ipsa illa perfectionis species nuper concupita, exculta, in cælum sublata, paullatim decoloratur, ut ita dicam, aspectu assiduo, & suis privatur illecebris; jam placet minus, jam displicet, jam plane contemnitur. Quid pulchrius eloquentia Demosthenia & Tulliana? Et tamen paullo post Demosthenem alia dicendi forma dominata est in Græcia; & adhuc vivente & vidente Tullio cœpit jam deflorescere & videri senior illa facundia, quæ ab ipso deducta in Latium mira suavitate mentes hominum sensusque tenuisset. Ecce igitur rationis loco *pravissima*, quam idem Tullius damnat (a), *consuetudinis regula*: ecce quotidie, ut in cibo, ut in vestitu, totoque mundo muliebri & virili, sic in eloquentia nova forma; si eloquentiæ est digna nomine, quæ non afficit, ut debet, animos, sed ingeniorum servit libidini & levitati: cui malo quod est remedium, nisi tantæ inconstantiæ philosophia sua gravitate moderetur?

Moderetur, inquam: frustra enim obsistitur, quum vetustatis invasit tædium; & amor

(a) *In Bruto c.* 74.

mor novitatis incaluit. Sed hic ipse amor, ut ut fervens, aliquam tamen semper speciem boni sequitur, ideoque sic potest secundari in iis, quæ cuique arti diximus arbitraria, ut non aberret a necessariis. Quamque hoc non difficile in tam multiplici ac prope infinito genere dicendi! fuso, conciso, figurato, simplici, hilari, severo, acuto, florido, actuoso, sedato: quod enim genus est, quod non possit in virtute manere, ut mansit olim in Attica *(a)*, & tamen genii temporisque conversionibus satisfacere? Illuc enim nemo fertur, ubi nil boni sit. En igitur præclarum philosophiæ munus, appetitiones ut animi, sic ingenii temperare, non vento flanti resistere, sed ad eum vertere orationis quasi vela, & quam perfecit artem, integram & incolumem in suo cursu servare.

Hæc ad tutelam & custodiam eloquentiæ: quid jam dignitatem, quid vires, quid opes dicam, quibus ipsa augetur oratio? Res, ut sunt, exponere, distinguere, definire, secernere causas veras a falsis, earum vim ponderare, consilium a casu, eventa ab effectis sejungere, ita evolvere, collocare, efferre omnia, ut semper exstet ratio & veritas; unde hæc tibi, nisi ex philosophiæ magisterio?

(a) *Ibid. c.* 82.

rio? Quid enim dissimulemus veterem & pervulgatam criminationem? oratores scilicet, etiamsi nec ineptos nec leves, tamen minus castigate loqui, quavis ratiuncula contentos esse, quatere campum, strepitu magis, quam argumentis pugnare, canere victoriam vix cœpto prælio, adversario adhuc intacto triumphare. Ac re vera ita fit, si non est philosophus ille qui dicit. Ornatius hic quidem loquetur & dulcius; sed nihilo rectius, quam populus disputabit.

Unde autem sumet abundantiam rerum & varietatem & elegantiam, omnibus personis, locis, temporibus parem? Magnum fuit censorii Catonis ingenium, magnus animus, sagacitas & industria singularis. Quid porro causæ fuit, cur in dicendo tantum distaret a Græcis? Hæc una, inquit Tullius (*a*), philosophorum *doctrina*, Romanis adhuc *adventitia & transmarina*. Quod idem confirmat Atticus (*b*) non de Cethego solum & Galba, sed etiam de Antonio & Crasso, qui ea aspersi essent leviter, non imbuti. Vigebat tum Romæ eloquentia, Amazonis potius similis, quam reginæ, acris, pugnax, generosa, tamen subrustica, confisa naturæ viribus, præferens patriam in sua dignitate pauperiem. Philosophia scilicet, quæ ipsam ditare

re

(a) *L.* 3. *de Orat. c.* 23.
(b) *Cic. in Bruto c.* 86. *&c.*

re posset, si non erat prorsus ignota, at hospes certe, necdum civitate donata.

Et sane, quanto quanto sis ingenio præditus, usque eone te amabis, ut speres de hominum rerumque naturis ea te posse de tuo elicere, quæ Thales, quæ Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles protulerunt partim accepta ab aliis, partim suo Marte cogitata? Quum te ad scribendum dederis, tum vero, nisi es cæcus, intelliges, quibus in angustiis & salebris, quantaque in obscuritate verseris; alterutrum ut sit necessarium, aut te fortunæ errorique committere, si vis in materiam penetrare; aut rem leviter perstringere, ut vulgo fit, rimasque & lacunas explere inanibus verbis sententiisque vulgaribus. Nemo sibi blandiatur: oratio prudens, solida, profunda, cui nihil desit nec præsidii, nec dignitatis, sine morum philosophia haberi non potest. Hæc emporium, hæc armamentarium, hæc officina est, unde mercium, armorum, operum omne genus accipias: hic est repositum quidquid præstabilius summorum hominum aut natura extulit, aut vestigavit sagacitas, aut complevit consideratio, aut experientia cumulavit. Hos qui thesauros non viderit, ne suspicatur quidem, quid opum habeat humana natura, nec in qua sit ipse miseria: estque similis hominis, se cum suo prædiolo lautum & divitem exi-

sti-

stimantis. Sed fac subeat urbem principem, aulæque regiæ opulentiam contempletur. Qui stupor simul & pudor! vix audet se suumque nidulum respectare.

At mox aucto notionum ambitu, augetur animus, ac priores angustias dedignatur. Parumne contulisse putas ad magnificas poetarum oratorumque sententias præclara dogmata philosophorum? Quanto mens funditur latius, tanto ipsa fit major: magnæ formæ magnas cogitationes inspirant. Nec alia est causa, cur & Demosthenes & Longinus tantopere velint mentes tum civium, tum oratorum rebus grandibus occupari: nec enim aliter ad grandia consurgunt animi, pupasque & crotala derelinquunt. Quod philosophiæ beneficium tantum tamque præstabile exponerem pluribus, nisi jam rhetor Græcus fecisset, & ad alia eloquentiæ decora nostra oratio festinaret.

Philosophia una cum rhetorica est veluti adjecta cedro Parioque marmori affabre elaborato architectura Etrusca vel Græca. Magna accessio; at ædificiine perfectioni usibusque sufficiens? Firmitatem video, commensum, ordinem: frons, atrium, fastigium, peristylum, conclavia, tota denique substructio ad summam pulchritudinem & dignitatem. Sed ubi instrumentum? ubi supellex? Fabri nimirum sunt advocandi quam plurimi, lignarii, ferrarii, figuli, cælatores, pi-

ctores, statuarii, textores, aurifices, quidquid fere opificum est, ut instructio sit plena & numeris omnibus absoluta.

Sic habe, regii cujusdam palatii genus esse orationem, cui nulla non sit affinis ingenua disciplina. Ecce tibi exempla moremque & formam antiquitatis præbet historia: naturæ prodigia & virtutes demonstrat physica: corporum cælestium positiones conversionesque docet astrologia. Quid poetica? quam varios colores, quam expressas ad vivum offert imagines! Descriptiones autem, translationes, similitudines, nulla est ars tam tenuis, tam humilis, tam obscura, quæ non possit subministrare quamplurimas & honestissimas & perjucundas. Hæ sunt quasi pictæ tabulæ, peristromata, signa, vasa Corinthia, toreumata, quæ si desint, unde exsistat oratio cultis hominibus eruditisque conveniens?

Placet, inquis, prudens oratio simplex ac nuda. Esto, placeat tibi: at placebitne etiam ætati in medio artium splendore & luxu educatæ? Roma certe politior non amplius tulit archaicas illas sive ædes, sive orationes, quibus ante gavisa fuerat (*a*); ac forte erubuit, se eas potuisse quondam tolerare. Scio non debere orationem his deliciis dif-

(a) *Cic. in Bruto c.* 32.

diffluere: scio plerumque gratas esse divitibus vices, ut cum Horatio loquar, & simplicem munditiem non raro esse aulæis & ostro cariorem: sed cujus constantiæ est, ornatum in ceteris rebus exposcere, in oratione simplicitatem?

Quid dicam, quam multa hic sint ad suasionem opportuna? Nescit artium rudis, nescit adjumenta & præsidia in eisdem collocata. Parvone lapillo credidisses posse dirigi formidolosissimos per mare cursus; aut vitro abditissima rerum arcana reserari? Ut omnes conspirant naturæ partes, ac mutuis officiis se se adjuvant; sic artes pariter, quæ a natura profectæ, indolem ejus imitantur. Ut autem intelligas, quid hinc emolumenti manet in eloquentiam, nihil opus est afferre auctoritates, quidve senserit Plato, aut Tullius, aut sæpe laudati Auctor Dialogi. Ipsa eloquentissima scripta declarant, quantum amplitudinis ceperint ex astrorum notitia, quantum cautionis ex re politica & militari, quantum evidentiæ ex pictura, quantum fidei ex exemplis, quantum commotionis ex præteritorum temporum recordatione. Una identidem similitudo nonne pro summa ratione valet, præfertque simul rei notionem, convenientiam, veritatem?

Quamobrem sapienter veteres orbem quendam sive circulum instituerunt bonarum artium, quem totum obire deberet, qui vel in

una vellet excellere : id quod omnium temporum experientia comprobavit. Res primo aspectu permira ; at, si consideres, naturæ legibus maxime consentanea! Ars fere nulla suam attigit perfectionem, nisi accedentibus ceteris: nullum prope opus eximium, nullus artifex summus apparuit, nisi quum aliorum generum artificia, & artifices floruerunt. Quando scilicet visus est in Græcia Jalysus Protogenis, aut Apellis Venus? eadem ætate, qua Cupido Praxitelis, & signa Lysippi, & Pyrgotelis numismata, & Charetis colossus Rhodius, & Dinocratis Ephesiæ Dianæ templum, & Pharos Sostratis, mundi miracula. Nam quid referam aut Aristotelem, aut Theophrastum, aut Callistenem, aut Aristoxenum, aut Menandrum, aut Phalereum, aut Philippum, aut Alexandrum Magnum? Spirabat adhuc Euripidis tragœdia, & Xenophontis historia, & sapientia Platonis, & eloquentia Demosthenis.

Roma vero nonne vidit eodem tempore Cæsares, Sallustios, Varrones, Cicerones, Atticos, Catullos, Varios, Virgilios, Horatios, Vitruvios, Roscios? Eodem tempore vidit postmodum Italia Politianos, Bembos, Sadoletos, Casas, Flaminios, Fracastorios, Bramantes, Leonardos, Bonarotas, Raphaeles... & quis possit numerare artifices omnis generis præstantissimos? Jam dicat Gallia, quo ævo tulerit Gassendos, Cartesios, Pa-

scalios, Petavios, Bossuetos, Bourdaloios, Fenelonos, Cornelios, Racinos, Molierios, Boilauios, Bruyerios, Possinos, Brunos, Sarrasinos, aliosque prope infinitos. Fuerunt scilicet fere omnes Ludovicei seculi ornamentum. Posset aliquid simile Britannia, posset Hispania, posset Germania de suis memorare.

Ad tantam ingeniorum & artium felicitatem valeant quidem, ut volunt aliqui, afflatus siderum & terrarum, tempestatum variatio, aeris temperies, vis caloris: suos habeat natura munificentiæ statutos dies, & longissimi temporis avaritiam paucorum annorum largitione compenset. Non quæro, quam id sit verum, & quatenus; nec voco ad calculos earum causarum proportiones & magnitudines. At quantumcumque concessero, negarene potes perfectionem operum multum ex cognitione pendere? negarene potes multa esse artibus inter se communia, quæ unus artifex possit ab altero discere, unus ab altero mutuare?

Quum scilicet artes alicubi florescunt, & sunt in pretio, illud fit necessario, ut hic artifex illum audiat, hic illum respiciat, miretur illius opera, capiatur specie, sollertia delectetur, habens quippe oculos magis eruditos: atque ut in nundinis usuvenit, ad quas casu aut voluptatis causa veneris, nec opinato quot quanta occurrunt, quæ commo-

dissime in rem tuam transferantur! Hic major gratia, hic ordo melior, illic varietas, dignitas, acrimonia, dexteritas singularis; ubique novi aliquid & speciosi, quo augetur mens, sensus animi perficitur, rerum prudentia cumulatur. Summos certe artifices constat fuisse præter artem suam peritos rerum plurimarum, idque eorum non scripta sunt, sed etiam facta declarant. Oratorem vero quem perfectum invenies sola rhetorica & philosophia? ubi autem plenam absolutamque eloquentiam nisi in gremio, prope dicam, omnis humanitatis & elegantiæ?

Neque hic tamen dissimulabo per hanc eruditionem mala multa & gravia in eloquentiam irrepsisse, luxuriem, fastum, ambitionem, inanitates, insulsitates, ineptias. Vir sapiens vix possit sine stomacho percurrere eruditas illas orationes, ubi sunt alia omnia præter id, quod convenit causæ. Sed quæ culpa est opum & divitiarum, si homines sunt leves, superbi, prodigi, libidinosi? Censuit Homerus perutile esse multorum populorum mores & instituta cognoscere: ex hac peregrinatione Ulysses, Pythagoras, Plato quot sapientiæ thesauros in patriam reportarunt! At si quis percurset regiones exteras non politiæ & ingeniis hominum intentus, sed calamistris & strophiis & pyxidulis & ensiculis & fasciolis, & quidquid novi collegerit, ostentet; næ ille verissime puta-

bitur

bitur omnes secum tulisse omnium gentium stultitias. Idem esto de artibus judicium, quæ impedimenta sint, non subsidia eloquentiæ, nisi ratione & decentia temperentur. Nec tamen illam severitatem posco, quæ jubet omnia vi & efficacitate metiri: detur venustati aliquid, detur magnificentiæ, atque hic quoque valeat Horatii dictum (a): *Exilis domus est, ubi non & multa supersunt.* Sed multum interest, utrum copiose sit ornata dictio, an pueriliter onerata.

Quamquam hoc non tam abundantiæ est vitium, quam penuriæ. Qui rebus affluit, nisi idem levis & vanus est, earundem vix meminit, quum tempus poscit & locus, ut Lucullus Horatianus (b). At qui pauca habet, tactus insolentia, vel pauperis famam metuens, promit, obtrudit omnia.

Id quod huic rationi adversatur maxime, est vetus querela: Istam eloquentiam quis possit assequi, siquidem is esse debeat & philosophus & geometra & historicus & astrologus & poeta, & quid non? Hic erit scilicet ille *Græculus esuriens*, sciens omnia, quem jactat egregie Juvenalis. Cujus enim Nestoris vita, cujus Archimedis ingenium par sit huic rerum immensitati? Quamobrem hæc

(a) *L. 1. epist. 6.*
(b) *Ibidem.*

hæc Suada rhetorum multis visa est plus habere ostentationis, quam veritatis, sicuti Stoicorum imperturbata sapientia. Qui vero agunt liberalius, eam in formis Platonis ponunt, quas quidem mirentur omnes, nemo possit exprimere.

Ego autem fateor nec pueris, nec tardis hominibus nec delicatis atque socordibus eloquentiæ palmam esse propositam: sed nego eam sitam esse tam dissito & excelso loco, qui spem auferat assequendi. Esto aliquis impiger, fervidus, acutus, ferax, qui recte & constanter huc feratur a teneris: quid est, quo is non perveniat? non eo pervenit Cotta? non Sulpicius? non Hortensius? non Cicero in ipso ætatis flore? Quum enim philosophiam poscimus, quum geometriam, quum physicam, quum historiam, aliasque artes, quæ sive cognitione, sive actione continentur, non id poscimus, ut tantum scias de singulis, quantum Socrates scivit, aut Plato, aut Aristoteles, Archimedes, Ptolæmeus, Herodotus, Strabo, Nigidius, aliique scriptores & magistri artium singularum. Quis a finito ingenio requirat scientiæ infinitatem? Sed neque hæc est eloquentiæ necessaria; cui quæ usu veniunt, nec ita multa sunt, eaque promta & exposita, cognitu dictuque facillima: quid enim abstrusa proferas, quæ sint ænigmata audientibus? Orator esse debet artium cognitor, non disceptator: ac si quando

do ad disceptationem sit veniendum; quare tum nequeat, ne sit Phormio, rem a peritis discere, quemadmodum de clientis causa apud Ciceronem monet Antonius?

Rhetorica sane & philosophia sunt interius cognoscendæ, altera quippe dicendi est, altera intelligendi magistra, sine qua aut infans erit sapientia, aut loquax stultitia. Sed utraque tantæne molis est, ut mentes obruat? Universam rei utriusque scientiam vix non habes collectam in rhetoricis & philosophicis Ciceronis libris. Atque utinam ejusdem Hortensius, quæque de Gloria, de Consolatione, de Œconomicis, ac præsertim de Republica scripsit, non periissent barbariæ & vetustatis injuria! Parum admodum reliquum esset, quod desideraret orator. Vir enim optime de eloquentia meritus in eos libros congesserat quidquid exquisitioris doctrinæ erat dispersum in libris excellentium philosophorum, attuleratque in medium omnes illas opes, quibus, non impar Græcæ, splenderet Romana facundia.

Quamobrem illud miror, quid sit, cur tam multi eloquentiæ studiosi Ciceronis opera philosophica ne attingant quidem, rhetorica & oratoria tum dimittant e manibus, quum plurimum possent ex eorum lectione proficere: quasi vero is esset auctor puerilis, qui primus cœpit puerili manu tractari, totamque illius amplitudinem discipulus bilu-

stris

stris exhauserit. O tempestivam maturitatem, quæ tam cito capiat fructus vel sapientissimæ senectutis! Horror, video, latinitatis incutitur; quid tamdiu nobis cum lingua ista mortuorum? Recens, inquis, eruditio & domestica & peregrina nos vocat, quæ quotidianum ornet sermonem, pariatque famam culturæ, quam ætas nostra desiderat.

Age, age, inquam, strenue cum ista vendibili eruditione; nec eos audi, qui sic antiquitati adhærent, ut novitatem respuant: in quo longissime discrepant ab eo ipso Tullio, quem adorant. Quis enim illo accuratior in exquirenda suorum temporum notitia? Tullium sane penitus ignorat, qui hoc ignorat. At sic novitati te dare, ut antiquitatem deseras, an hominis est, sane de eloquentia sentientis?

Nam ad latinitatem quod pertinet, est illa quidem in Tullio pura & elegans, ut nusquam magis, numerosior etiam, & magnificentior, quam usquam alias: sed non illa est, quæ me nunc habeat solicitum. Pereat quidem, si ita vis, tota latinitas, nec ipsum amplius nomen Latii audiatur: iccircone Cicero abjiciendus? Nulla est alia causa, qua ipsius nobis existimatio & amor & studium commendetur? Quid? illa ubertas ingenii, illa gravitas & copia sententiarum, illa in rebus excogitandis sagacitas, in discernendis subtilitas, in tractandis prudentia, illa sive

in

in petendo certa vis, sive in declinando dexteritas, sive in cavendo providentia, sive in jocando festivitas & lepos, in animis vero & conciliandis suavitas, & mitigandis lenitudo, & incitandis vehementia, ubique autem diffusa urbanitatis quædam decora species & honestatis & veritatis; hæc inquam omnia non talia & tanta sunt, ut, qui eloquentiam non oderit, debeat amare Ciceronem?

Quin ipse stili nitor & facilitas & dulcedo & magnificentia itane sunt affixa linguæ latinæ, ut nequeant in germanicam, italicam, gallicamque transferri? Non hoc sane fuit Latinorum de Græcis judicium; non de utrisque hoc fuit judicium scriptorum illustrium, qui primi in suas nationes aut induxerunt dicendi scientiam, aut amissam revocarunt. Verborum quidem, ut ita dicam, corpus suos habet præscriptos limites, atque ad populi arbitrium, teste Horatio, ut frondes arborum, nascitur, viget, cadit: at spiritus, qui verba regit animatque, quoniam ortus est ex sapientia atque consilio, cum iis manet, estque omnium linguarum, locorum, temporum. Quare imprudenter faciunt, qui scripta eloquentissima pervolventes, curam præcipuam in verbis ponunt, velut in caducis frondibus. At nihilo prudentiores illi, qui tamquam pomarium ingressi, vetustis arboribus quaslibet novellas præfe-

runt,

runt, etsi nec copia, nec sapore, nec salubritate fructuum cum illis comparandas.

Et quoniam ad Ciceronem deflexit oratio, in eo conquiescat. Quod enim aptius hujusce controversiæ complementum? Is unus est, qui & præcepto dirigat, & juvet exemplo, idque in omni eloquentiæ genere, sive illud placet familiare & quotidianum, quale est in epistolis; sive concisum & pressum, quale in philosophicis; sive magis ornatum & florens, quale in rhetoricis; sive salsum, argutum, subtile, ut in quibusdam tenuis fili orationibus; sive amplum, magnificum, incitatum, ut in aliis orationibus gravioribus. Ubique splendet tibi summa doctrina optimaque natura. Esto, peccet aliquando in ordine, aliquando in argutiis lusibusque verborum; sit alicubi in maledicto efferatior, in digressione prolixior, in comprehensione verbosior sibique consonantior: quid tandem hæ maculæ sunt in tanto omnium virtutum lumine?

Sed quod maxime ad rem nostram facit, ipsa est ejus studiorum regio ac via. Quid rerum molem incusas? Habes hic auctorem & ducem: ipse narrat magistros quos audierit, libros quos legerit, artes quas didicerit, quibus rebus se exercuerit, in quibus habitaverit, apud quas sit diversatus, quid penitus combiberit, quid primoribus, ut ajunt, labris degustaverit. Ipsum paullisper adeamus: sapien-

pientum vita est schola sapientiæ: nec minus juvat, quo modo egerint, quam quid egerint, cognoscere.

Cicero quidem non ostendit se nobis a prima pueritia; quæ ætas non consilio nostro regitur, sed arbitrio alieno: quamquam ex iis, quæ fecit grandiusculus, quid puerulus didicerit, conjectamus; & in Hortensio, & procemio libri tertii de Finibus satis ipse significat, quibus potissimum rebus ad eloquentiam, atque adeo ad sapientiam imbui eam ætatem velit. Latina lingua & græca, grammatica, poesis, rhetorica, hæc videntur fuisse elementa, quæ tantis progressibus munirent viam. Quam multus autem fuerit in poetis & oratoribus non lectitandis solum, verum etiam imitandis, declarant opuscula, quæ plurima lucubravit adolescens.

Neque his tamen ita se inclusit limitibûs, ut non & antiquorum & recentiorum temporum memoriam attingeret, & videret descriptionem regionum, & exploraret siderum conversionem ac situm. Et sane ei ætati, cujus maxima vis est in memoria, quid accommodatius, quam quæ memoriâ continetur, verborum, factorum, rerum nuda comprehensio? quod etiam monet sagax naturæ investigator Bruyerius. Quin hoc præcipit ipsa natura, nobis his mundi incolis cupiditatem injiciens cognoscendi omnia, quæ inusitata specie percutiunt illis imaginationem ac

sen-

sensum. Atque oh sciret moderator hanc cupiditatem acuere longiusque provehere! magna enim cum voluptate alumnum suum multiplici rerum cognitione ditaret, & ex effectis ad causas, ex singularibus ad universalia, ex sensibus ad rationem deduceret. Quod utrumque optavit Cicero, ut & puer ad majora esset a rebus paratior, & ad sapientiam concipiendam doctrinis paullo subtilioribus tingeretur, sicuti medicamentis lana, quæ purpuram debeat combibere: neque iccirco noluit amœniorem ætatem amœnioribus præcipue musis consecrari.

Ut vero excessit e pueris, & metam, quo tenderet, designavit, ecce tibi cum alibi, tum potissimum sub finem Bruti, qui est de Claris Oratoribus, quæ sibi Cicero ad eam rem præsidia & ornamenta, suo utens judicio, comparaverit. Primam illa rhetoricam nutricis ac palæstræ loco habuit, quæ teneris membris quandam quasi pinguedinem & agilitatem adjungeret. Sed ubi robur? ubi opes & apparatus ad pugnam? Ad Antiochum se contulit, ad ceteros omnes, quorum esset clarior fama doctrinæ: in primis autem Philoni se dedit, philosophiæ tum Socraticæ principi. Nec rivis contentus, ascendit ad fontes, Platonem dico, Aristotelem, Democritum, Aristippum, Zenonem, Arcesilam, aliosque sectæ auctores ac duces; ut jam philosophia posset videri Romam de-

du-

ducta, nec non sapientia post diuturnum dissidium cum eloquendi artificio copulata.

Quid dialectica, quæ Zenoni est quasi contracta manus, quam dilatet ac porrigat eloquentia? Id quod etsi jactantius dictum est, de vero nos tamen periculo admonet, ne tali nudata præsidio oratoria ratiocinatio flaccescat aut claudicet. Tullius certe, auctore Diodoto, ad Stoicorum, qui tum acutissimi essent, disputationes, velut ad cotem, ingenium suum exacuit, habuitque paratissimum, sive minutis distinctionibus & interrogationibus, tamquam pugiunculis, certandum esset, sive prolixa argumentatione, sicut Achillis hasta dimicandum.

Eam, quæ nunc metaphysica dicitur, tunc autem nec suis erat regionibus nec vocabulis definita, sed a Platone multisque Græcis ac Latinis communi dialecticæ nomine comprehensa, quæ scilicet prima offert maximeque abstrusa & remota scientiæ cujusque principia, sine quibus nec argumentatio potest perduci ad summum, nec res ulla funditus explorari; hanc inquam quis credat a Tullio prætermissam, quum passim ejus rationes cum philosophicas tum oratorias videat ab iisdem principiis repetitas?

Res est obscurior de geometria, sine qua jam nemo esse homo putatur: Tullius vero eam potius attigit, quam amplexus est. An forte quia visa sit minus cum eloquentia con-

convenire? Arida una, altera copiosa, illa continuis vincta nexibus, hæc quo lubet libere discurrens, illa nihil nisi ad intelligentiam referens, hæc petens potissime imaginationem & cor. Equidem geometricis nihil aptius ad mentem figendam, ordinandam, solidandam: quæ si desunt, sæpe deest ordo, turbatur series, solvitur junctura, labat conclusio; nec raro subit inanis quædam & indigesta rerum congeries verborumque luxuria: a quo vitio nec Tullius noster abfuisse creditur, cui proinde arctior cum geometris consuetudo nihil nocuisset. At sæpe etiam geometriæ comes est sermonis quædam exilitas & jejunitas &, pœne dicam, captivitas: aberratio putatur, quidquid exit e recta via; quidquid non est deducta ratio, videtur esse futilitas & dissolutio. Unde porro exsistent illæ præclaræ species? unde lepos & splendor & motus animorum? En tibi sermo acuti potius philosophi, quam magnifici oratoris. Ego quidem, si fas est proferre quod sentio, geometriam omnino nolim ab eloquente abesse, utpote commodissimam ad docendum; at neque velim cuique pariter adesse, minus quippe idoneam ad movendum: ingenio directo, placido, meticuloso formam ejus & quasi gressum ostenderem; arctiores vero frenos injicerem ingenio fervido & exsultanti; illi, ne frigeat in cursu; huic, ne aberret: Quod ferme Iso-

cra-

cratem fecisses video cum Ephoro & Theopompo.

Ad ceteras artes quod attinet, non eadem est oratorum omnium ratio, uti nec eadem subjecta est omnibus dicendi materia. Aliæ sunt quippe res tractandæ rhetori, aliæ præfecto militum, aliæ sacrorum ministro, aliæ civitatum rectori, aliæ actori defensorique causarum: quas res nisi noscat penitus, qui in iis vult habitare, erit Sophistæ similis, jactans se in eo, quod nescit, suam peritis probans stultitiam. Licuit Soloni, licuit Pericli multa ignorare, quæ scivit Isocrates; non enim agebant personam rhetoris: at iisne licuisset ignorare mores hominum resque civiles ac bellicas; & tamen velle disserere? Tullius, ut primum forum & subsellia cogitavit, venit ad Scævolas tum augurem tum pontificem, ut consuetudines & jura condisceret; nec omisit historiam, statuta majorum, edicta, auctoritates, exempla, quibus omni ex parte esset armatus aut tectus.

Acturus autem de re publica, artem politicam ingressus est, nec solum excussit e suis primordiis Romanas res, sed etiam Atheniensium, Lacedæmoniorum, Cretum, quibusque de causis auctus fuerit vel imminutus populorum imperiosorum status. Sic in rem sacram, in philosophicam, in bellicam penetravit, ut sibi proposuit de illis scribere ex professo aut dicere, parem argu-

mento scientiam afferens, ne sibi turpiter impar esset.

Nam quæ res non tractandæ sunt, sed carpendæ, elegantiæ & ornatus causa, eas satis est leviter delibare. Quo quid facilius homini non hebeti nec oscitanti? Magnusne labor est, immo non humanissima oblectatio, artis cujusque usum, inventionem, progressum quærere, adire officinas, opera inspicere, instrumentum & sollertiam observare? Vidisses Tullium, qua aviditate ad musicos, ad architectos, ad statuarios, ad pictores diverteret; tamquam ad aliquod industriæ & ingenii theatrum, cuperetque nosse artifices omnis generis præclarissimos. Nec ipsum, credo, puduit ad textores etiam descendere & fictores & tignarios, & si qui sunt opifices deterioris notæ. Quod enim est tam obscurum genus, oratori usui non futurum? præsertim si adsit monstrator catus & intelligens, ut Tullio adfuit Diodotus omni artificio politissimus.

Nec tum deerat artium, quæ in honore essent, explicatio a doctissimo Varrone concinnata, quam nobis invidit vetustas, non parvum, ut arbitror, ornamentum eloquentiæ. Ac præclare nobiscum ageret, si qui ejusmodi explicationem daret, qualem eloquentia postulat, & ea mensura, qua postulat; opus non maximum, idemque perutile, quasi certum studiorum curriculum oratori

pro-

propositum, quod horis, pœne dicam, subsecisivis absolveret. Quamquam illud & jampridem inchoarunt alii, & effinxit magna ex parte eruditus ac prudens Gerardus Vossius, & in multis prope confectum attexuit Antiquæ Historiæ bene de humanioribus litteris meritus Rollinus. Nam ille Circulus longe maximus, qui omnium exæquet artium magnitudinem, ut ut conficiatur & perficiatur, nec humani excedat vires ingenii (aliqui enim non temere existimant veros & fructuosos omnis inventionis fundos non adeo late patescere) tantus inquam Circulus non est oratori necessarius, cui undecumque satis est conspicua & promta mutuari.

Quid quod numquam deserenda est dicendi scientia? Hæc Tullio prima cura, hæc perpetua & summa occupatio: eumque recte cum Marcellis, Mummiis, Paullis compatares, qui e patria sibi carissima in Siciliam, Græciam, Macedoniam discederent, ut eandem patriam augerent dominatu, tropæisque & spoliis decorarent. Sic Tullio ad artes digressio erat eloquentiæ amplificatio.

Ipsa vero eloquentiæ forma quam diu spectata & meditata! Hanc ille quærebat in Sulpicio, Cotta, Hortensio, Menippo, ceterisque omnibus sui temporis oratoribus: hanc in antiquis assidue contemplabatur Lysia, Hyperide, Dinarcho: splendidum autem Æschinem, & suavem Isocratem, & grandilo-

quum Platonem habebat semper in oculis, ante omnes vero Demosthenem, oratoriæ facultatis principem, cujus omnes virtutes studeret æmulari.

Et quis in opere suo crebrior? quis laboris & limæ patientior? Ex ipso scimus, ut diem prope nullum ab oratoriis exercitationibus vacuum labi sineret; ut quotidie legens, commentans, scribens, omnes ingenii vires experiretur: & quamvis identidem declamaret ex tempore; plerumque tamen suas orationes sive ad pompam sive ad pugnam accuratissime perpoliret.

In quo mirum est, quam, homo ætate fervens, successu elatus, natura gloriosior, parum placeret sibi, ut omnibus placeret. Non enim solum explorabat ora sensusque populi, sed etiam celebres sui temporis magistros consulebat, Demetrios, Dionysios, Æschylos, Xenocles, Molones, si quid aut delendum esset maculæ, aut decoris explendum; illam, opinor, facundiam metuens, qualis esset Hortensii, florescens cum ætatis flore, pariterque marcescens, nec patiens temporis, nec omnem decens personam.

Et vero ex tanta accuratione tantaque rerum peritia, en demum Romana eloquentia nihil invidens Græcæ, forte etiam plenior & ornatior, decora juveni, seni non indecora, foro perinde ac curiæ, doctisque ac rudibus peridonea, quæ jam multa sæcula, atque omnium

mnium ætatum & nationum judicia superavit. En ille, quem exoptavimus, perfectus & absolutus orator, qui sit philosophus, historicus, poeta, artifex omnis generis, qui omnes sciat docere, delectare, movere; qui dicat non modo tenuia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate, sed etiam abstrusa dilucide, jejuna copiose, antiqua noviter, vulgaria mirabiliter, omnia denique apte, varie, suaviter, erudite; quique hanc facultatem valetudine non firmissima, non provecta ætate, sed florente, annum agens necdum tricesimum, plenius etiam, quam res postulat, sit consecutus.

Quis nos igitur immensitate rerum & insuperabili arduitate deterreat? quis amplam & amabilem Suadam tam procul e terris arceat, nullo ut conatu queat ad cœtus hominum deduci? Exstitit profecto illa inter nos, nec semel exstitit omnibus artibus comitata, munita, instructa, exornata: habuit illam Roma; habuerunt Athenæ; habuerunt aliæ civitates; ejusque senserunt vim suavitatemque mirabilem. Quam si non assequimur nos, vel non experimur in aliis crebrius, fateamur ingenue, non tempus & modum, sed vel naturam, vel rectum studiorum ordinem, vel potius ipsum studium & laborem & industriam defuisse.

DE
ELOQUENTIA
ORATIO

HABITA IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE
VINDOBONENSI

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA NOGHERA

IN EADEM TUNC
SACRÆ ELOQUENTIÆ PROFESSORE.

DE ELOQUENTIA.

EXTERUM hominem & pœne ignotum ex umbratili disciplina ad tantam celebritatem ac lucem evocatum, atque in hanc Urbem omnium principem, in hanc celeberrimam amplitudinis & sapientiæ sedem receptum, singulari etiam benignitate in sanctissimum probatissimorum virorum collegium cooptatum initiatumque, nec non præstantis auctum dignitatis insignibus, præsertim de re oratoria agere meditantem, non decebat profecto, Viennenses, neque fas erat in ipso aditu demandatæ sibi curationis tacere: &, sive spectaretur accepti beneficii magnitudo, sive suscepti muneris administratio, res & causa postulabat, ut, quam afferret de tam gravi facultate opinionem, quæque essent tantæ beneficentiæ debita, animi sui sensa patefaceret. Et vero nihil mihi potius fuit, quam ut utrique officio, quoad possem, facerem satis; fecissemque re ipsa anno ineunte, nisi me properantem altius imperium cohibuisset, jussissetque supersedere, dum una cum tempestate mollesceret & dicendi

la-

labor, & audiendi molestia. Quare dabitis, opinor, veniam, si non modo serius exsolvo, quæ debeam, sed mensura etiam minore, quam debeam: utrumque enim facit necessitas, non voluntas. Quæ enim verba sententiis, aut quæ possint sententiæ gravitati rerum, tantisque in me promeritis respondere? Illa primum sua me majestate percellit, Illa, inquam, gloriæ, immortalitati, populorum felicitati nata, humani generis deliciæ & admiratio, virtutibus perinde ac rebus gestis victoriisque clarissima Augusta Domina, in qua potius divinæ munificentiæ dona suspicere, quam prædicare possimus. Supremus se mihi offert studiorum Moderator sapientissimus, Antistitum decus, & Principum sacrorum exemplar, quo patrono ac duce gaudent omnes ingenuæ disciplinæ. Ecce tibi eximius Universitatis Rector magnificus, amplissimus Cancellarius, rei theologicæ Præses lectissimus, ceterique Præsides & Curatores, omnes doctrina ne magis, dubites, rerumque prudentia, an morum suavitate laudabiles. Quid reliquos dicam inclytæ ac pervetustæ Academiæ vigilantissimos deque universa litteratura meritissimos Magistratus, omnesque omnium artium Professores atque Doctores qua libris editis, qua obitis muneribus, qua præclara institutione conspicuos? Ne ceteros commemorem omnium Ordinum auditores, nobilitate, opibus,

bus, consilio, scientia, auctoritate præstantes: Ut jamdudum me mei pudeat, qui ad tantum splendorem atque ad hujus societatem gloriæ huc arcessitus advenerim.

Sin vero me animo & cogitatione converto ad eam artem, quam meæ fidei diligentiæque commissam esse voluistis, uti summopere ejus præstantiaque pulchritudineque delector, ita plus etiam, quam dici possit, ejusdem arduitate ac prope immensitate deterreor; nec satis intelligo, qua ratione queam decus illius & jura defendere.

Quamobrem non tam spondendum mihi de me aliquid, quam vota facienda, ne aut ingratus esse videar, aut indignus eo munere, quod in me tam liberaliter contulistis. Te specto igitur atque obtestor Optime Maxime bonorum omnium auctor Deus, cujus numine vel ipsa humilitas mirum in modum erigitur, & imbecillitas roboratur, & scientissima evadit inscitia: Teque omnis qualiscumque semper expertem labeculæ, Parens Virgo, honor nostri generis præsidiumque firmissimum, quam omnes nostram communi studio Parentem, Patronam, Dominam agnoscimus & veneramur: Vosque Superi omnes, ac præcipue Urbis hujus atque Imperii Custodes Tutoresque, in quorum benevolentia incolumitas nostra stat, Vos quæso adeste propitii, ac facite, ut, quando tantum oneris jussu alieno, non mea cupiditate

susce-

suscepi, id mihi non indecorum accidat, his omnibus non ingratum, utile religioni, pietati consentaneum, reipublicæ salutare.

At de arte, quam profiteor, si non pro rei dignitate, at pro tenuitate virium verba facturus, quid ego potissimum eligam dignum vestris auribus, dignum spe & exspectatione hujusce præstantissimæ Juventutis? An eloquentiæ dignitatem excellentiamque demonstrem? At insignis hæc atque magnifica sermonis artifex satis se prodit ipsa per se se, suaque contenta specie, dum ceteras res ornat, nihil alienis se ornamentis indigere significat. An ejusdem sequar opportunitates ac fructus? At quam frigidum sit illud & supervacaneum ejus artis commoda venditare, cujus propriæ partes sunt, voluntates hominum, ut ait Orator, *impellere*, *quo velis*, *unde autem velis*, *deducere*! præsertim iis audientibus, qui communi utilitate permoti, quamvis hic haberent egregios ad omnem perfectionem duces, aliunde tamen petendum auxilium judicaverunt; siquid forte peregrinitas ad pleniorem ejus disciplinæ comprehensionem posset afferre. An vero exspectatis, dum ego ostendam, quantum eadem eloquentia sacros Deo homines deceat, deque rei Christianæ felicitate solicitos? Næ ego vos tam imprudentes rerum esse non arbitror, qui nesciatis plurimum ex ea religionis decus, dogmatum stabilitatem, pie-

pietatis studium, morum innocentiam integritatemque pendere.

Videte quantum vobis vestræque indoli tribuam, Viennenses: illud vobis propono atque objicio, quod alios auditores forte celarem, quodque ex se magis absterreat animos, quam alliciat, ipsam videlicet eloquentiæ, quam vobis commendatam cupio, gravissimam ac prope immensam difficultatem. Quid enim non sperem, atque adeo meo jure deposcam in præsens ab ea natione, quæ non solum in bello omnium formidolosissimo tantam est gloriam consecuta, sed simul etiam successu tam fausto enititur ad artium, quotquot uspiam sunt in pretio, absolutam plenamque scientiam? Maximam igitur, quam dixi, demonstrandam sumo difficultatem: quam tamen nego esse vestra facultate ingenioque majorem. Attentos animos res ipsa postulat; benevolos vestra humanitas pollicetur.

Quam ardua res sit eloquentia, quamque aspero loco & salebroso collocata, ipsa ejus natura, & officium, & multiplex fortuna declarat. Neque enim, quum eloquentiam audis, fingas tibi idolum velim ad certas leges compactum, elaboratum, politum e schola, cujus facies inani te jucunditate perfundat. Hoc qui putat, lenam potius eloquentiam facit, quam dominam. Satis sit Musicæ,

cæ, satis Poeticæ, satis Picturæ, & Statuariæ, si delectent: addo etiam, satis ceteris artibus, si huic vel illi hominis facultati aut famulentur, aut præsint: illa vero, quæ Suada jam inde a primis temporibus est appellata, quî tanto digna sit nomine, nisi totum petat hominem, in eumque sibi vindicet non coactum, sed voluntarium dominatum?

Homo scilicet, quamvis dominandi cupidus, lubens, cui placet, se se submittit: dum enim suasioni obtemperat, non suasori putat se obtemperare, sed sibi: sua quippe nunc phantasia, ut Græci loquuntur, nunc ratione, nunc cupiditate movetur: quamobrem & ex his potissimum fontibus omnis est ars oratoria derivata. Nam quod de elocutione præcipitur, datur auribus, sensui omnium delicatissimo, ut per eas tamquam benevolas interpretes cetera commodius ad animos deferantur.

Quamquam & prima illa ex Rhetorum sollertia & pervestigatione profecta, etsi sunt præscripta sapienter, tamen detrimenta sunt, non adjumenta orationis, nisi ex rivulis ad fontes, unde manarunt omnia, atque ex præceptis ad ipsa principia revertamur. Quid enim usitatius, quam prolixa oratio omnibus circumfluens ornamentis, quæ habeat, ut ita loquar, palæstræ plurimum, at eloquentiæ nihil? Nimirum omnis artificii magistra semper

per

per est adeunda natura, eaque intento animo consulenda, quid rebus singulis, quæ nunc sunt, quid temporibus congruat, quid congruat audientibus. Immo nec statim, quidquid Natura pronuntiaverit, tamquam oraculum accipiendum; sed eadem instar Protei vinculis & stimulis est agitanda, ut ex omnibus, quæ fuderit, ratione & judicio eligas, quo videlicet modo aptissime cieantur phantasmata, & urgeantur rationes, & motus animi concitentur. Atque hoc illud est, quod Platone duce eximii nobis Philosophi & Rhetores tradidere, ut non Naturam solum speculemur, sed optimam pulcherrimamque Naturam, formas scilicet archetypas & primigenias, quæ omnibus artibus sunt propositæ velut absolutissimum omnis perfectionis exemplar.

Hinc illa est excellens atque magnifica eloquentiæ, ni fallor, species, adumbrata quidem a multis, sed a Cicerone & Longino suis ad vivum expressa coloribus; species semper integra, nunquam senescens, nisi quum Natura ipsa senuerit, ubi & dignitas sine fastu, & sublimitas sine tumore, & venustas sine fuco, & simplicitas sine abjectione, & alacritas sine levitate, & subtilitas sine obscuritate, & sine asperitate vehementia; ubi nativa & propria fulget ubique lux veritatis, & res maxime dissitæ repræsentantur, & insensiles subjiciuntur sensibus, ut

ma-

inanimæ novo spiritu animantur; illa inquam species, quæ primo statim aspectu possit omnium ad se oculos mentesque convertere, mulcere doctos & indoctos, tenere plebis Optimatumque frequentiam, influere in sensus hominis penitissimos, evellere insitas opiniones, novasque conserere, diluere objecta, mollire difficultates, ex audacia ad pudorem, ex mœrore ad lætitiam, ex odio ad amorem, vel contra, transferre, facesque, ut ita dicam, subjicere voluntatibus, & secum eas abducere nedum obsequentes, sed cum admiratione & gaudio obsequentes. Magnam enimvero pulchritudinem, magnam potestatem, magnum imperium eloquentiæ! Oh Forum illud Romanum! oh veterem Curiam ipsius Suadæ vocibus personantem! Quam melius una dictio, sensusque intimus, quam omnia Doctorum verba rem totam explicarent!

Sed quid ait M. Tullius veræ eloquentiæ perfector ac prope parens, idemque dux & auctor institutionis meæ? de artis hujus difficultate quid sentit? quid requirit ad ejus adeptionem? quam industriam, quam scientiam, quod genus eruditionis ea esse alienum judicat? Dialecticam audio, historiam, legum morumque prudentiam, physicam, poesim, summa infima, abstrusa obvia, quæque potissimum sita sunt in consuetudine sensuque populari, cupiditates, virtutes, vitia, omnia

fere

fere opus est habeat orator cognita atque perspecta: ac, si ulla est inter ingenua studia bonasque artes cognatio, ea certe est maxima omnium cum eloquentia, quæ undecumque sibi subsidium comparat interdum etiam necessarium. Quæ enim, cedo, res est, unde Tulliana oratio non confirmetur mirum in modum & efflorescat?

Nec tamen multum efficiet tanta facultatum rerumque complexio, nisi ingenio vigeas pœne divino, ad excogitandum uberi, ad discernendum acuto, ad disponendum prudenti, ad explicandum facili, ad declinandum dextero, ad invadendum vehementi, ad animi commotiones celeri, ad species fingendas vivido, tristi, festivo, in omnem denique partem, ut Livius ait, versatili. Neque enim summæ illius, quam dixi, Naturæ formas reperiet, nisi sagacissimus & promtissimus ad omnem motum; nec rite exprimet, nisi peritissimus; nec ornabit, aut subsequetur, nisi complurium litterarum & artium cumulatissimus. Nam quid ego stylum ad omnem elegantiam expolitum accommodatumque sententiis? quid vocis inflexionem referam, quid aspectum, quid gestum; sine quo dictionis spiritus elanguescat necesse est, atque ardor conglaciet? Quæ si cui fortasse nimis multa & magna videntur esse, a tractatoribus coacervata ad artis suæ commendationem, videat quæso, ne ipse potius de il-

la minus honeste sentiat; discatque eandem, si non suis examinare ponderibus, at exitu & fortuna metiri.

In tanto enim dicendi usu atque studio, unde, quæso vos, nisi ex hac rerum, quæ requiruntur, copia & magnitudine tantam oratoriæ laudis penuriam repetamus? Illud scilicet omnibus compertum est, eloquentiam nec ante Periclem, aut verius Isocratem atque Demosthenem fuisse plene absoluteque perfectam, quum tamen antea plurimi ad eam rem omne suum studium & industriam retulissent; & post M. Tullium, qui novis eam auxerat præsidiis & ornamentis, cœpisse statim a sua sanitate perfectioneque deficere: ut tanti viri calamitas duabus rebus, quæ essent in mundo pulcherrimæ, videatur fuisse fatalis. Extincta enim est cum hoc clarissimo lumine Romana Republica: & quamvis non extincta penitus, at obscurata eloquentia est; ac, si Curia, si Rostra, si judiciorum subsellia non obmutuerunt, mascula tamen & victrix dicendi facultas obticuit; quantoque magis ab illa ætate recesseris, tanto etiam minora & pauciora Tulliani roboris vestigia possis agnoscere. Perinde quasi huic arti sit superandus apex lubrici & prærupti montis, quo quum pervenerit, in lapsum jam prona sit, magisque mirari debeamus, eo illam potuisse unquam adrepere, quam misere paulo post in Græcia & in Latio decidisse.

Quam-

Quamquam illud sane feliciter contigit, Auditores, ut ex hisce fœdatis prostratisque reliquiis alia nobis eloquentia utilior multoque præstantior sit exorta, sacra inquam, cujus parentes & auctores fuere Cypriani, Lactantii, Basilii, Gregorii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, aliique bene multi, quos Pastores Doctoresque & Patres Ecclesiæ nominamus. Huic nempe proposita est una & prima veritas, huic summum hominis bonum, sanctitas, salus, incolumitas, beatitudo: ac singulari divinæ Providentiæ beneficio factum est, ut simul & consuleretur nostro generi profligato ac perdito; & humilis adhuc & obscura telisque omnibus appetita religio, tantorum virorum ingeniis erecta & nobilitata consisteret, novisque in dies accessionibus augeretur. Et quamvis uniuscujusque non perfectissima ubique splendescat oratio, interdum etiam ævum redoleat non felicissimum; quis est tamen non iniquus rerum æstimator, qui aurea illorum scripta pervolvens non gratuletur sibi nedum monstratam ad omnem virtutem viam, sed sanam quoque eloquentiam veterem fuisse veluti postliminio revocatam? Oh magnos & præclaros & admirandos Viros, divinis rationibus humana quæque posthabentes, animumque gerentes Romano majorem imperio! En hic invicta illa, & tamen prudens libertas Dei filiorum propria; en acumen & altitudo ani-

mi, & splendidissimus omnis scientiæ apparatus; en varietas, nitor, majestas, copia, vis illa quoque animorum conciliatrix & arbitra; nec desunt fulmina, quæ in Græco Oratore celebravit antiquitas, fulmina, quæ non plebejos homines & infimos, sed superbissimos Philosophos, Tetrarchas, Reges, ipsos adeo Imperatores terrarum dominos commoverent.

At mansitne ubique, mansitne diu hujuscemodi laus? Etiamnum conqueruntur alii, alii indignantur, sacram quoque eloquentiam ex illa salubritate & sapientia ad pigmenta, ad cincinnos, ad fucos, ad inanem ingenii ostentationem fuisse traductam. Quam audacibus metaphoris, quam puerilibus, ut ajunt, allegoriis, lusibusque verborum & argutiis & nugis canoris permixta, inquinata, corrupta sunt omnia! Res sacra laborat oppressa congerie eruditionis alienæ, & adventitiis fucata coloribus jam prope vilescunt sacrosancta mysteria. Mirata est jam pridem Gallia, mirata Italia, suos olim potuisse ad has insulsitates ineptiasque descendere. Atqui nedum Tullius atque Demosthenes, sed sancti Patres & Doctores tum quoque erant in manibus omnium, & divina volumina assiduo labore & studio pervolvebantur....

Sed quid ego ad stomachum recino quotidiano tritam sermone querelam, & larvas insector, quæ jam evanuere, quod sciam, ex

ex oculis omnium? Ne quæso Auditores, ne scrutemur diutius abjectas sordes, neque acerbius, quam aut æquitas, aut humanitas postulet, invehamur in viros ceteroqui disertos & doctos & pios, quos ego quidem commiserandos potius, quam aut ridendos, aut vituperandos censeo: vitia enim illa non hominum fuisse putanda sunt, sed verius locorum ac temporum. Neque est profecto, cur ulla gens magnopere glorietur, aut in maculas insultet alienas, siquidem non gravetur suas recognoscere. Sed in quam velis, hæc partem accipias; res certe ipsa & veritas in nostram te sententiam ducit: illæ enim seu labes ingeniorum, seu vicissitudines temporum, quibus ars fortasse alia nulla tam cito, tam sæpe, tam diu fuit obnoxia; quid sibi aliud volunt, quid significant, nisi illam, quam posui, opinione hominum longe majorem, eloquentiæ sacræ difficultatem?

In quo tamen illud jure videor posse lætari, eandem artem exeunte seculo præterito non solum emersisse e suis sordibus, sed etiam factam esse pulchriorem. Postquam enim duo sapientes Viri, apud quos plus vera ratio, quam vetus consuetudo valuit, novo eloquio artis suæ damna reparare ausi sunt, ejusque sanctitatem ab ampullis & quisquiliis vindicare; ipsa rei dignitate admoniti quot passim diserti homines ad eam excolendam & amplificandam communibus studiis exarse-

runt? Et quamvis hic citius renata sit eloquentia, illic felicius propagata; & uno in loco sapidiores, in alio salubriores fortasse fructus ediderit; vix ulla tamen est natio, quæ pro cæli solique varietate non contulerit aliquid ad istuc, quod dicimus, incrementum. Ordinis & doctrinæ tenax Gallus, Britannus vehementiæ plenus & succi, vividitate & splendore gaudens Italus, soliditate Germanus, Hispanus acumine: quare nec una est eloquentiæ species, & jucundissima elucet vel in ipsa perfectione diversitas, ut unus quidem orator blanda suasione plus valeat, alius gravi auctoritate, alius rapida concitatione; hic improvisis te pungat aculeis, ille totius æstu orationis abripiat; hic velut amicus deliniat animum, ille subdat ut dominus, ille tamquam imperator expugnet. Sua cuique dux & magistra debet esse natura, quæ, ut aliis animantibus cornua, aliis dentes, aliis ungues aut calces, ita hominibus dedit ingenium, huic quidem lene, huic ferox, huic subtile, huic tenerum, huic vividum, huic copiosum. Et quamquam sub eodem cælo ingenia, ut arbores, plerumque conveniunt; discrepant tamen non raro, & persæpe multum possunt translatione (sin enim loqui liceat), vel insitione proficere. Quid autem sapienti optabilius, quam peregrina quoque industria, aut felicitate juvari? Nonne & Italia gallicos, & italicos Gallia ga-

vi-

visa est ex solo non suo fructus existere?

Sed non id agimus in præsens, ut gentis cujusquam in eloquentia laudes aut habitudinem persequamur: ipsam eloquentiam agimus, quæque ab eloquentia poscit hoc tempore gentium politarum, etsi dissimilium inter se discrepantiumque consensus: quæ quidem ad hæc duo capita, opinor, redeunt sane difficillima, ut videlicet illa & protendat latius scientiæ fines, & multo angustiores symmetriæ & decori terminos circumscribat.

Non enim, non una sunt, quæ nostram diligentiam exigant, divina eloquia sive litteris consignata, sive quodammodo per manus tradita, atque hereditario jure per fidelissimos custodes ad nos usque transmissa: quæ quidem eloquia plena majestatis & affectuum in Vaticiniis, plena similitudinum & exemplorum in libris historicis, plena documentorum in *Sapientialibus*, ut appellant, plena præceptorum & consiliorum in *Evangeliis*, plena mysteriorum & penitissimæ religionis in Pauli epistolis, sunt utique etiamnum potissima, primis autem temporibus erant pœne unica sacræ eloquentiæ monumenta. Atque ea eloquentia, Apostolis auctoribus consecrata, Deo mirabiliter aspirante, quot, quantos, quamque incredibiles fructus attulit!

Tu vero quam mihi memoras Apostolicam concionandi rationem, & magno nomine tuam

honestas ac tueris incuriam? Ostende mihi prius, tuis ut verbis utar, Apostolicum spiritum, & tuas ego tibi Apostolicas libenter annuam conciones. Nimirum eloquentia, uberiore illo caritatis, sanctitatis, miraculorum præsidio destituta, multo accuratiorem postulat humanæ industriæ famulatum. Illam mihi videre videor veluti regiam quandam feminam, sui in animos principatus retinentissimam, sacrorum Interpretum, & maxime sanctorum Patrum consessu amplissimo circumseptam, quorum ductu atque auspiciis divina arcana & tutius penetret, & exponat uberius, & efficacius insculpat animis. Hinc atque hinc sibi adesse jubet utramque Theologiam & legum disceptatricem & dogmatum, quæ certa religionis jura definiant, & præcepta a consiliis, consuetudines a mandatis, veritatem ab opinione discernant. Illam quoque expetit sanctionum & Rituum totiusque sacræ antiquitatis magistram Historiam, quæ pristinam severitatem hodiernæ indulgentiæ, & Majorum ardorem ac sanctimoniam nostræ objiciat pravitati atque desidiæ. Nec sibi deesse patitur Criticam sagacem & sobriam, quæ & vitet doctorum hominum offensionem, & intemperantem coerceat stulte sapientum audaciam. Quid porro huc revocem aliam illam multiplicem, quam initio protuli Cicerone auctore, scientiam, quæ fere sacræ eloquentiæ perinde, ac profanæ est neces-

ces-

cessaria, ac præsertim vitæ hominum, errorum, propensionum, morumque notitiam, qua latebras cordis intimas, omnesque, ut ita dicam, mentis ambages anfractusque dispicias?

Ac ne me plus justo putes me causæ velificari, rem considera huic eloquentiæ rationi subjectam. Nihil quidem ille grandius, nihil præstabilius: Dei majestas ejusque omnimoda perfectio & in hominum rerumque administratione providentia, firmitudo & sanctitas religionis, humanæ reparationis mysteria, cælestis auxilii necessitas & distributio, infernarum potestatum machinationes atque molimina, nova vitæ, nova virtutum, nova rerum expetendarum facies, inacessa omnibus ingeniis, veræ felicitatis via, hominis totius futura sors, immensa præmiorum aut pœnarum vis, spes & periculum ancipitis æternitatis... atque illa tamdiu a Philosophis investigata, nec unquam inventa plenæ felicitatis regio & via... quid unquam tale ex Romano oratore auditum, aut Græco? At tanta hæc rerum excelsitas & magnitudo sustentatne magis orationem, an opprimit? Quomodo enim illas & pro dignitate efferas, & in auditorum animis ea, qua par est, efficacitate defigas?

Duo sunt, quæ summopere hic torqueant oratorem, novitas videlicet, speciesque sensibilis. Sunt enim illa & a pueris prius au-

di-

dita, quam percepta, & a concionatoribus multum & sæpe jactata. Unde igitur existat varia semper & nova forma, quæ plerumque sola potest saturas aures allicere, & torpentes animos excitare? Ingenii quidem fœcunditas rem aliis atque aliis conformet modis; at, nisi nostra nobis blanditur inertia, ingenium parum posse fatebimur sine multa variaque doctrina; nec raro inveniemus esse trita scientibus, quæ ignaris videntur esse novissima.

Quid quod eadem argumenta sunt a sensu, ne dicam cogitatione remota: nos autem specie plerumque ac sensu ducimur? Longe alia fuit eloquentiæ profanæ conditio. Præterquam quod novi semper aliquid habebat propositum, hominis, rei, loci, temporis varietate distinctum; omnia fere posita erant in ore atque in oculis civium, nec deerant adminicula, omne genus, quæ partes orationis languidas sustentarent. At ubi hic spectabilium imago rerum? ubi affinitates cognationesque, quæ unius periculo multos tangunt? ubi virorum principum compellatio? ubi frequens fautorum adversariorumque conspectus? ubi capillus incultus, promissa barba, sordidata vestis? ubi senes puerique miserandum in modum ejulantes, & protendentes manus, mirasque tragœdias excitantes? In his, credo, sive asperitatibus, sive angustiis rerum hæreret aliquando etiam copio-

sis-

sissimum illud Romanæ eloquentiæ flumen.

Quin immo fastidiosa nostræ ætatis urbanitas ad rura & ad rusticos homines emandavit paucula quædam spectacula, simplicioris quondam pietatis non levia incitamenta. Apage sis, atque istam mihi scenam ex oculis eripe. Sensili quidem apparatu instruenda res (quis enim ignorat, quæ sit phantasiæ in mentem animumque potentia?), sed species non ex fabrorum officinis, verum ex tuo sunt ingenio rerumque multiplici cognitione & meditatione promendæ. Te, te ipsum oportet tuis spectatoribus, quæ sint aptissima, pingere hinc atque hinc sumtis ex natura coloribus, ut non tam putent se hæc audire, quam cernere.

Huc adde multo severiores decori regulas, quas partim religio, partim consuetudo præscripsit: neque enim hæc patitur sonare crassum quid aut agreste; nec probat solutam illam declamandi objurgandique licentiam, quam mores alii, alia tempora concedebant. Libera quidem erumpat divina Veritas, nec aut philosophantium censuram, aut potentum supercilium erubescat: non ipsa timeat vitium; sed timeatur, ac stultam cogat hujus mundi sapientiam (Pauli verbis utor) sapientissimæ Crucis stultitiæ se se subjicere, rerumque inanitatem agnoscere, in quibus summa putatur esse vitæ beatitudo. Quid enim iniquius, quid nocentius, quam si Dei

ma-

majestas subsit hominis cupiditati, & morbo medicina vincatur? Sententiis tamen verbisque multo cautius temperandum; & aliqua magis intelligi volunt, quam dici, ne pro concitatione contemtus, & pro emendatione quæratur offensio.

Quid joci, sales, argutiæ, satyræ etiam hilariores procacioresve, ac totum denique ridiculum, quod magnam habet vim, & dulcissima sæpenumero condit jucunditate sententias? Cave sis: interminatur tibi, excutitque id omne de manibus augusta ac seria rerum sacrarum auctoritas: immo nec sinit orationem, quæ gravis esse debet ac veneranda, exquisitis comtibus & illecebris & crepundiis juvenescere: Ut jam plane illis assentiar, qui longe putant eloquentiam sacram profanæ, uti dignitate, ita etiam difficultate præcellere.

Eodem accedit lex ordinis quædam severior, quæ non ita pridem cœpit esse in deliciis & in more apud eos, qui sunt, vel videri volunt esse sapientes. Oh temporum illorum, oh eloquentiæ felicitatem, quum liberrima procurrebat oratio, & in alios campos atque alios, quo vocabat utilitas, vagabatur! Testes sunt complures sermones veteres, testes eæ, quas græce dicimus Homilias. Nunc vero non solum oratio contruditur in unum locum, sed pluribus adhuc partitionum cancellis ac terminis coarctatur. Inter

ter propositionis capita debet esse cognatio, ac summus nexus membrorum inter se partiumque consensus: tamquam lineæ in pulcherrime descripto ædificio, ita omnis orationis particula, opus est, conspiret exacte ad eam, quam tantopere commendavit Horatius, unitatem; nec quidquam digrediatur, quod eodem non sit majore cum gratia rediturum: & tamen idem, ne dicam, major illustriorque ab oratore deposcitur dicendi splendor & copia: quid enim apud populum valeat oratio exilis, arida, spinosa, impedita, jejuna?

Neque vero hic tandem dissimulandus est adversarius quidam gravissimus omnibus bonis artibus, quæ aut utilitatem spectant aut voluptatem, sed eloquentiæ in primis, cujus proprium est utilitatem cum voluptate conjungere, Gustus videlicet hominum eruditorum, aut verius Sensus, qui singulis ætatibus inest, & bonus, dum inest, vocitatur; re autem vera bonus non est, quum non ex judicio & ratione, sed ex novitatis libidine & hominum satietate generatur. Ipsa quippe nobis perfectio desipit, simul ac communis cœpit esse cum multis; & phaleratum delectat vitium, quum prodit in publicum magni alicujus auctoritate & populi frequentia commendatum. Nulla gravior litteratæ Reipublicæ pestis, & ipsa inscitia barbarieque deterior. Pulchrum enim esse, quod placet, cre-

credimus, & laudi nobis vertimus, quod laudatur: ætatis nostræ freti suffragio, nihil de posteritate diffidimus, ac securi serimus speciosas ineptias, unde postea probrum & despicientiam colligamus. Justissimum levium ingeniorum supplicium, larvas pro rebus, plausum pro utilitate captantium!

Ex anteactis ætatibus promtum est de futuris judicare, artificumque simul & artium jacturas intelligere. Ac ne longius discedamus, siquis a primordiis velit eloquentiam sive profanam, sive sacram inspicere, ejusque varias, ut ita dicam, personas recognoscere, inveniet eam primo quidem fuisse bonam & simplicem Matremfamilias; deinde Matronam illustrem & gravem; demum augustam potentissimamque Reginam: postea vero degenerasse, & Puellam argutulam factam esse atque sophisticam, immo etiam & lenam & mimam: postea rursus nobilitatam, in opes & in regnum suum rediisse; ac nunc denique Geometram paulatim (sit verbo venia) Philosophamque acutam & scitam evadere. Quamquam meum non est tanta de re ferre sententiam. Quid intelligentiæ, quid sensui & animo tribuendum, quantum doctrinæ, quantum ordini, quantum suo ingenio indulgendum, quantum alieno; Sapientum judicio relictum sit: illud dumtaxat statuo, eloquentiam semper fore degenerem, si, quod datur tempori, naturæ detrahitur; &

dum

dum spectatur præsens forma mutabilis, negligitur summum ac stabile totius perfectionis exemplar.

At vero hoc opus, hic labor est, Auditores, exemplar tantum tamque retrusum & abditum recte posse dispicere, & stylo exprimere non impari nec incerto ejus lineamenta eximia, propriisque luminibus colorare. Tot inter difficultates, vices, discrimina quis hoc sibi de sua, quis de aliena audeat industria polliceri? Refugit mens, horret animus, manus cadunt: hanc illi perfectionem habeant, *quos æquus amavit jupiter*: nos aliqua simus non ignobili mediocritate contenti, præclareque nobiscum agi putemus, si secundarum, ut ajunt, partium oratores ludus possit hic noster dare.

Verumtamen fallor, Viennenses, fallor, meamque timiditatem & diffidentiam reprehendo. Arduitate ingens animus acuitur, non terretur. Quid autem non præstet Germanus, quod Græcus, Italus, Gallusve potuerit? An vero possumus, hoc præsertim tempore, dubitare vestram nationem natam esse ac prope factam ad res honestissimas maximeque asperas conficiendas? Mihi quidem, quum facta ipsa circumspicio, quæ magnifice adeo de vobis prædicant, supervacaneum prorsus videtur esse, quam attigeram secundo loco, facultatem vestram ingeniumque proferre, ad vincendas artis propositæ diffi-

difficultates. Quid enim, amabo, quid vobis deesset eorum, quibus ejusdem artis perfectio continetur? An dux & auspex? esto, non sim ego tanto muneri par.: at non unus præsto est socius & consors gloriosi laboris; præsto sunt sapientissimi Præsides, qui aut industriam adjuvent, aut peritiam suppleant, aut errorem avertant. An lectissima exemplaria, an institutiones? At multo plura nunc sunt in eo genere, quam habuerint ii, qui summam antea vim eloquentiæ sunt adepti. An rerum, quas dixi, cognitio plurimarum? At quædam in hoc Lyceo non ostentat se nobis, aut potius non obtrudit atque infert scientia? Tantum certe abest, ut ulla desideretur ex omnibus seu sacris seu profanis, ut illud potius in mentem veniat suspicari, ne ingenuæ disciplinæ veteribus, quas hactenus tenuerunt, expulsæ sedibus vel novitatis studio, vel otii desiderio, in vestram tandem se fidem & clientelam omnes recipiant.

Reliquum est igitur, ut natura illam vobis laudem invideat: nec me fugit, quam gens aliqua tota sit in suis ingeniis extollendis, deprimendis alienis; immo & nescio quos aggerat cæli, soli, victus incommoditates, quæ omnino flexanimam illam & mollem denegent sententiarum stylique suavitatem. Ego vero, etsi concedo nonnihil indoli regionum ac moribus, pace tamen illorum dixero, & florentissimos quondam populos

in

in summa nunc squalere barbaria, & maxime silvestres ac barbaros omni venustate florere; nec ullam esse gentem, quæ suos non possit Bossuetos, Bordalovios, Flechierios, Segneros, Cheminerios, Girovios, Massillonios, Hubertosque producere; dummodo & instituatur recte præceptis exemplisque, & stimulis quam aptissimis, honoribus, muneribus, præmiis impellatur.

De Germania vero quid sentias, aut quid serio possis objicere? An quisquam vestrûm suæ est nationis oblitus, traditæque a majoribus gloriæ? Vos vos ipsos appello, Viennenses: memorate (ne tritome artificio putetis vestro nomini assentari) memorate, si potestis, genus aliquod artium vel difficillimarum, in quo de vestris plurimi non præcelluerint: neque gregarios dumtaxat loquor & asseclas, sed ductores inventoresque rerum maximarum. Ego externus & advena, quum in eos intueor, quos ad nos fama perduxit, magnitudine obruor, perturbor copia; idemque pœne accidit mihi, quod Anchisi illi Virgiliano insignes Romanorum animas recensenti. Quot, quanti, quamque illustres Viri! Albertos hic Magnos vides, Cassandros, Canisios, Gretseros; illic Kepleros, Clavios, Paulos de Middelburgo, Bernullios, Kircheros, Hevelios, hos in mathematicis, illos in theologicis suorum temporum facile principes. Immo vero mathematica ipsa, si

non obsolevit seculo XV., si non jacuit sepulta tenebris, cui debet, nisi vestro illi, Austriaci, Peurbachio, ejusque discipulo Regiomontano? Copernicus, quantum nomen! Huic satis & abunde est habere Newtonum sectatorem, quo pleraque Philosophorum natio duce gloriatur.

Illosne duos noscitis, stipatos nobili magnoque comitatu, dispari quidem ingenio, at amplitudine, uti & solertia prope pares? Leibnitius ille est, quo se tantopere jactat subtilior philosophia: hic autem Wolfius, qui prior instituit ratione geometrica res philosophicas distinctius & enodatius explicare. Ne te, Guerrice, silentio prætermittam, cujus admirabilis machina, ad exhauriendum aerem comparata, immensum attulit rei physicæ emolumentum. Ac nisi pigeret ad Mechanicos usque deflectere, eos vobis ostenderem, qui graphicos typos, qui pulverem igneum repererunt; nec tacerem opera omnis generis sive ad opportunitatem, sive ad delectationem, sive ad decus exquisitissima, quæ vestræ gentis excogitavit ingenium, vel perfecit industria.

An vero universi ego juris peritiam, an medicinam commemorem, quum jam prope videam utramque saluberrimam & maxime necessariam sive artem, sive scientiam regnum suum quodammodo in Germaniam transtulisse? Quis est, qui vestros ignoret Scævo-

volas, vestros Galenos, qui non ex usu dumtaxat, aut ex auctorum lectione, sed ex meditatione naturæ atque intimo sinu philosophiæ certissima nobis reperta depromunt?

In studiis vero humanitatis tametsi de Germanis possum illud fortasse concedere, quod de superioribus Romanis memoria proditum est, palmam scilicet nil repugnantibus fuisse præreptam, quum ipsis erat antiquius magna facere, quam bene scribere, & imperitare litteratis populis, quam litteratura pollere; nihil est tamen in eo genere, quod natio vestra non tulerit. Ac prætereantur quidem, per me licet, annales, historiæ, chronica, aliaque obscuriorum temporum monumenta, quibus hæc abundat regio, ceteræ pœne carent: agite, Poetasne vultis, vultis Oratores, Interpretes, Criticos, homines nullius eruditionis expertes? Opitios habetis, Hagedornos, Gelertos, Halleros; habetis Camerarios, Moshemios, Ernestos: vestri sunt Raderi, Velseri, Brunneri, Lipsii; vestri, vestri inquam cives sunt Latii, Streinii, Forstneri, aliique innumeri, quos nec exteri rerum suarum amatores renuunt cum scriptoribus suis vel optimis comparare. Ac ne Germaniæ deesset honos, Petrarchæ Guidoque delatus, sunt vobis ante oculos Celtes a Friderico, Cuspinianus a Maximiliano Augustis insigni pompa laureati. Quid si doctissimæ nationes magnam quoque vobis debeant

pro restitutis litteris gratiam? Testem voco seculum XVI. nullo nunquam tempore bonis artibus memorandum. Si tum cœpit renovari nitor sincerus latinitatis; si ex inerti oblivione consurgere hebræa lingua & græca; si coli & conformari stylus orationis: si Codicum, si Rituum, si Patrum, si Conciliorum, totiusque tum sacræ tum profanæ antiquitatis studium ardentius quam unquam alias reviviscere; non ne hæc laus est Germaniæ cum Italia Galliaque communis? ac, si gens alia paululum antevertit; nonne vestra æmulatio fuit veluti eos ad alienigenarum acuendam industriam perpolita?

Et quisquam adhuc dubitet de Germanorum ad comprehendendam eloquentiam facultate? Quamquam nec opus erat longinqua revocare. Utinam non me præsentium & audientium prohiberet modestia, sicuti possem ego temporis præteriti laudes in hoc ipso consessu expressas atque amplificatas ostendere! At saltem circumspicite, Viennenses, hanc Urbem præclaram circumspicite, vetustam Imperii sedem, augustum virtutum omnium artiumque domicilium; & vestrismet oculis spes vestras & vires discite: hæc, hæc inquam Urbs Principes tulit optimos, optimos Antistites, optimos Reipublicæ administratores, optimos exercituum duces, optimos omnis generis litteratos; an non ferat quoque optimos oratores?

Equi-

Equidem, quantum ego non ex somniis aviumque cantu & volatu, sed ex rebus gestis vestroque ingenio auguror, Viennenses, (modo ne labor & lima desit) prospectare jam videor ex hujusce potissimum Urbis & Universitatis amplissimæ gremio existentes vestros, non dicam Bossuetos, aut Massilonios, aut Bordalovios, sed iis similes, quos habetis, oratores omni laude cumulatos, qui sine ulla vel minima nubecula lumen veritatis ostendant populo, qui digna suo auctore gravitate divina mysteria legesque pertractent, qui ornate, copiose, erudite omnem explicent religionis pietatisque rationem, qui denique non plebis solum Procerumque mentes deliniant, & ad omne officium resides voluntates impellant, verum etiam magnos impiorum spiritus frangant; ipsamque cogant perfidiam & contumaciam impendentis sibi Divinitatis jura sentire. Oh dies illos, qui tanto nos bono cumulabunt, universæ Germaniæ faustos atque lætissimos! oh viros, qui hæc præstiterint, ad communem utilitatem factos, ultimisque posteris memorandos! oh sanctissimam religionem novis in dies decorandam muniendamque præsidiis & ornamentis! Me beatum, siquid tandem ad eum finem possit conferre meus hic, etsi duriusculus, perhonorificus tamen, nec injucundus labor!

Agite jam Adolescentes optimi, quos nunc to-

tota, ut ita dicam, spectat Germania, & a quibus uberrimos vestrorum studiorum fructus exspectat: dignos vestra natione vestraque gloria animos sumite. Ponite vobis ante oculos Augustum Cæsarem, qui summam Imperii majestatem cum summo eruditionis amore conjungens, facem quodammodo litteratis præfert, conquisitis omnibus, quæ antiquitas, quæ ars, aut natura habet, ex universo terrarum orbe rarissimis monumentis. Ante oculos ponite tot regionum populorumque moderatricem, Illius Augustam Conjugem, quæ femineo pectore animum plusquam virilem gerens, tot inter communium temporum difficultates, ac belli turbulentissimi procellas, artium tamen liberalium studia non existimavit regiis cogitationibus curisque minora, ac velut in ceteris rebus, nihil in iis non excelsum, nihil non eximium optimumque persequitur. Quid Regiam loquar Sobolem florentissimam, quæ omnibus naturæ, seu potius Dei muneribus circumfluens, & virtutis æque, ac doctrinæ laude prælucens, non minus suaves ad imitandum habet illecebras, quam illustria præbeat suæ magnitudinis, & nostræ felicitatis indicia? Quid amplissimum, Antistitemne dicam, an Principem, an Oratorem, qui non modo auctoritate excitare, verum etiam augere vos scientia potest, & exemplo? Quid egregium ex Batavia accitum Virum, curandis corpori-

ribus nescio, an ingeniis aptiorem? Sunt in ore atque in oculis omnium Viri primarii, Ecclesiæ, Imperii, Urbis clarissima lumina, qui regendo, monendo, docendo præsentissimum vobis auxilium pollicentur. Respondete juvenes optimi tot tantisque ad artem omnium pulcherrimam invitamentis: consulite vobis, consulite rei publicæ, consulite posteritati; &, quam de vobis alimus secundissimam, spem & exspectationem implete. Dixi.

F I N I S.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del *P. F. Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *De Natura, & causis Eloquentiæ disputationes tres. Opus posthumum. Auctore Joanne Baptista Noghera &c. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Giuseppe Remondini* Stampator *di Venezia* che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. il Primo Giugno 1786.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Pietro Barbarigo Rif.*

Registrato in Libro a Carte 192. al Num. 1752.
Giuseppe Gradenigo Seg.

Addì 2. Giugno 1786.
Registrato a carte 135. nel Libro presso gl' Illustriss. ed Eccell. Signori Esecutori contro la Bestemmia ec.
Giannantonio Maria Cossali Nodaro.